MATTHIAE NORBERGI

SELECTA

OPUSCULA ACADEMICA.

EDIDIT

JOHANNES NORRMANN.

PARS PRIMA.

LONDINI GOTHORUM MDCCCXVII.

LITTERIS BERLINGIANIS.

Lecturis

S. D.

JOHANNES NORRMANN,
L. L. O. O. et Gr. Prof. E. O.

Tricesimus &, qui excurrit, octavus annus est, ex quo Linguarum Orientalium & Græcæ Professor Regius & Ordinarius magno futuri omine apud nos creatus est Matthias Norberg, S. S. Theologiæ Doctor, Regi a Cancellis Consiliarius, cum In-

Insigni de Stella Polari. A quo autem tempore utriusque hujus Literaturæ spatia ita emensus est, ut in omnibus ejusdem partibus suam egregie collocaverit operam; cujus etiam multa specimina publicata sunt, plura vero, vel quæ forsan majora habeantur, adhuc inedita latent. Quæ autem passim edidit Opuscula Academica, ea sane adeo rara facta sunt, ut si Orationes & Dissertationes recentissime editas exceperis, cetera non nisi fortuito assequi possis. Nec adfuit spes, fore, ut Auctor ipse, alia & potiora animo volvens, suam ad hæc sua opuscula iterum imprimenda cogitationem verteret. Quæ itaque collecta si publici juris fecerim, omnibus, qui Literas, non minus Orientales & Græcas quam Latiales, amaverint, gratum id fieri judicavi.

Quorum vero Operum quæ in lucem jam prodit prima Pars, ea tantummodo Orationes & Pre-

Programmata complectitur. Orationes tamen non paucæ sunt, quas aut temporis injuria abstulit, aut Celeb. Auctor imprimi noluit. Dissertationum vero selectam partem, eandemque ab Auctore ipso passim emendatam, Tomi, qui mox publicabuntur, secundus & tertius continebunt. Dabam Londini Gothorum d. 24 Nov. MDCCCXVII.

Tomo hoc continentur:

VI.

XV.

MEMORIA DANIELIS THUNBERGI ARCHITECTI CLARISSIMI.

Metatur terras oculis, nec caespite tantum
Contentus fragili, subitos attollere muros,
Ingentes cautes, avulsaque saxa metallis,
— — — — transfert,
Exstruitur, quod non aries impellere saevus,
Quod non ulla queat violenti machina belli,
Franguntur montes, planumque per ardua —
Ducit opus, pandit fossas, — — —

Lucanus Lib. VI.

Si pulchrum eſt, memoratu digna agere, aptum quoque & pium erit memoriam eorum prodere, ut, quæ ingenia præſens ætas vidit, poſteritas etiam cognoſcat. Hic mos, qui omni ætati ſuorum non incurioſæ communis fuit, quando magis usurpandus co-

Daniel Thunberg familia omnium vetustissima, amplissima & sanctissima ortus est. Patrem habuit Laurentium Petri filium, probum & industrium agricolam: quæ campestris est nobilitas, ipsis mundi initiis cœpta, omni tempore & loco celebris, & victu cultuque casta & modesta. Avus a Finnorum, quibus sola in plaustro & sagittis spes fuit, ultima origine generatus: quæ natio prima septentrionis colonia fertur, sed ad extremos ejus fines. urgentibus Gothorum armis pulsa, adhuc non solum in campis Finlandiæ numerosa, sed etiam in silvis Norlandiæ passim superstes viget, utrobique veteri vivendi dicendique ratione utens. Hic homo rusticus, vi & ferro Moscovitarum patria majorum profugus, tutam sibi & transmarinam atque mox memorandam sedem quæsivit, ambiguam vero invenisset, nisi veneficii accusatus, sacerdotibus tunc temporis superstitiosis & invidis metum tulisset, ipse conscientia recti & ferri cingulo semper inserti præsidio securus. Tanta erat in ipsa generis origine animi nobilitas & magnitudo, manifestum ingenuæ magnaque ausuræ prolis præsagium, Locus nascendi Angermanniæ parœcia Thorsåker, ejusque annexa Dahl, & quidem villa Thunsjön,

(pro-

(proptia & sincera clari nominis origo), festiva area, quæ modo antiquis silvis, egregio adversus tempestates tutamine, coarctatur, modo lætis campis, satis feracibus & pecorum fœcundis, patescit, puro cœlo & liquido aëre. Adeo nullas natalium imagines, titulo speciosas, habuit ille, quem natura effici, quam nasci nobilem maluit.

Ex honesta parente Anna Henrici filia plebejo genere natus, non in amplexu mercenariæ altricis, sed sinu castæ matris enutritus fuit, qua nihil vel in tuenda domo diligentius, vel in fovendo filio indulgentius compertum. Pater, qui etiam agro colendo operam antiquius & simplicius dedit, prout ipse litteras amabat, ingenii docilitate, quæ in puero summa erat, animadversa, eum innocentiæ & religionis sanctitate domi imbutum, & undecim annos natum, misit Hernosandiam, locum Gymnastica disciplina & provinciali parsimonia mistum & commendabilem. Hæc per decem annos litterarum sedes & morum magistra fuit, quo longior a ludorum diebus festis, peccantium illecebris, eo propior virtutis & sapientiæ studiis, discentium honestis curis. Magnus ex hoc usus:

mul-

multum constantiæ, plurimum judicii, juvenibus in pleno auditorio ambitiose studentibus, & quidem inter ipsa discrimina, ubi nemo aliquid impune, negligenter vel inhoneste dixerit aut egerit. Quantum vero a cognoscendis disciplinis ad aleæ & pilæ hilaritatem superfuit temporis, tantum sibi ad eam artem, cui a pueris deditus erat, colendam sumsit, ut non minus in otio cum fructu, quam in negotio sine periculo esse posset. Nam in prima juventa excelsum & erectum ingenium summam mechanici studii cupidiatem præ se tulit; cui autem vehementius quam cautius obsecutus fuisset, nisi prudentia patris, de filii salute & sorte timentis, incensum & flagrantem animum coërcuisset. Scilicet, data occasione, non venia, in secretas ædium partes se abdidit juvenis, cultro furtim arrepto, & ad usum reposito. Sic etiam hoc lumen in occulto esse debuit, antequam in medium prodiret.

Quid autem conjuncta vis naturæ & fortunæ in temperandis suis bonis efficere possit, si quis alius, profecto Thunberg expertus est. Etenim quanto plus ingenii, tanto minus rerum ei contigerat. Hanc summam domi inopiam parta foris

ris doctrinæ & probitatis fama tempestive sublevavit, erudiendos tres fratres, vivendi subsidia, nactus, demandante hoc magisterium patre Eurenio, qui felicitate ingenii & copia doctrinæ, an munere Pastoris & dignitate Præpositi clarior fuerit, haud liquet. Nec facile dixerim, utrum nascendi conditio, an magistri spiritus his discipulis plus mechanici acuminis, quo inclaruerunt omnes, attulerit.

Præsentia secutus, & ulteriora concupiscens, faventibus præceptoribus & invidis condiscipulis, Upsaliensem Academiam, majestate conditoris & professione veri longe lateque celebrem, optimis ominibus petiit, magis parentum votis quam opibus juvatus, ætate prudens. Nobili hoc loco, litteris & exemplis adfluenti, ab eruditissimis didicit, & optimos secutus est. Notitia Hebrææ, Græcæ & Latinæ antiquitatis, dialecticæ subtilitate, & disciplinæ moralis utilitate non modo pectus implevit, sed etiam linguam & vocem exercuit. His artibus, quibus nihil studioso ad ambitum sacri ordinis utilius, sibique inopi ad spem secundæ fortunæ aptius putavit, vim illam & ardorem, cui æternitas debebatur, temperavit & compescuit,

pefcuit, tempori obfequi peritus, & neceffitatem voto anteferre eruditus. Tamen cum legendi fcribendique labore hebefcentes animi & corporis vires reficeret, eas non licentia ludi & joci, fed ufu ferri & dolabræ acuit, formam fui ingenii varie reddens: quam vero operam finiftra erga eminentem interpretatio in fordidæ artis omen vertebat. Sic de ingeniis fine experimento male judicatur.

Sed labente tempore difcendi cupiditas & vivendi difficultas pari modo & fpatio crefcebant; quod animum quidem follicitum effecit, a confilio tamen flectere non potuit. Suprema neceffitas in loco fortiter tolerata; & magna non modo fpes & votum, fed etiam fiducia & robur in virtute ponebatur. Quæ animi perfuafio & magnitudo noftrum non fefellit, æqua & honefta vitæ fuftinendæ conditione Fahluni impetrata. Neque hoc forte cafuque factum, fed præfenti aliquo numine prævifum & conftitutum fuiffe credo, ut naturæ & artis fecreta ibi obvia, benignas generofi metalli venas, & ftupendas humanæ follertiæ machinas, ingentem novis rebus materiam, obeundi occafionem haberet. At artem & ftimulos juveni fponte currenti

addi-

addidit quoque ſuo adſpectu circumjecta regio, quantum aſpera cœlo, montibus horrida, ac paludibus fœda, tantum foſſionibus agrorum ſubacta, & frugum non impatiens, neceſſitate rationem & induſtriam faciente. Nam ne harum rerum otioſus ſpectator videretur, periculo proprii ingenii ad alieni laboris levamen & commodum facto, exſtitit primum ſuo acumine auctor ſeminalis & occatoriæ machinæ, qua agricultura nihil invenit ſollertius, & deinde ſuo exemplo ſuaſor paſtinandi agri, quo Blekingia nihil experta eſt fructuoſius. Ut autem ingenia, quo ſæculo naſcuntur, eodem non facile æſtimantur, ita & Thunberg nulla laudati inventi pretia, honores vel præmia, in comitiis regni tulit; incertum, utrum incuriâ populi, cui vetera in laude ſunt, nova in faſtidio, an evulgato artificii arcano, imitamentum viſi operis alibi facile & gratis fieri poſſe. Sed quo magis ambiguum erat initium, eo lætior progreſſus, & ſplendidior finis. Cum inter optimam artem & iniquiſſimam ſortem ſpe & metu ſuſpenſus, clauſa diu tentaſſet, obvia demum Polhemi, ſummi viri, adiit, ſuffugium neceſſitatibus, ducem ſtudiis quærens. Hoſpiti non modo venienti dextram por-

porrexit, sed etiam ipsi rudimentum tabulæ præstantissime rasæ ponenti fidem præstitit. hospes, hæberi visu, non tactu senex, præsentia & lævia manu, magna & futura animo sentiens. In hac palæstra per duos annos tanti viri præceptis mentem, tantique architecti operibus manum adhibuit, ut intuendi exempli observantissimus, ita ejus imitandi studiosissimus, claro documento, eum talem futurum, qualem natura esse voluit.

Sed privati hospitii & nominis favor publicum peperit. Ad dignitatem nasci, fortuitum, nec ultra æstimatur: ad honores per ambitum tendere, ea gratiæ per circuitum affectatio: ad publicum autem munus eligi, vera virtutis hæc reputatio est, quæ gloria nostro. Obscuro loco natus, diu domesticus præceptor, & tandem alienæ opificinæ minister, propter altam indolem, nullis suis ad hoc sermonibus, in re difficillimæ deliberationis, consensu omnium & judicio, unus electus est, qui parandis Sveaborgi navalibus præficeretur. Sic fama non semper errat: aliquando vere judicat & opinatur. Quanta autem existimatio artis, tanta hominis erat exspectatio; quam vero ipsius adventus æquavit velsupera-

peravit. Præſenti animo utens, & futuras res cogitatione præcipiens, hoc opus a ſummis ad ima arduum ſuſcepit, auſpiciis Auguſti Ehrenſverdi, ſingularis & hominis & imperatoris, qui civitati fortitudine decertandi ſemel, decernendi ratione ſemper profuit. Nam magnus ille vir ſuo nomine & conſilio id apud Principem, Senatum & Populum egit, ut non modo perficeretur memoratum, ſed etiam inchoaretur infra memorandum navale opus, quibus non aliud in re publica vel ad utilitatem fructuoſius, vel ad dignitatem imperii amplius, vel ad aliarum gentium admirationem illuſtrius excogitari poteſt. Hoc duce, privatim hortante, publice juvante, noſter architectus, dum Sveaborgi verſabatur, id præcipue officii & curæ habuit, ut idoneam bellicis navibus ſtationem, reficiendis ſiccam, ſervandis tutam, pararet. Utrumque pari conſilio & felicitate effecit, alterum aggeribus vehementiæ tempeſtatum & ſtuctuum oppoſitis, alterum vaſtis gurgitibus ſupra humanam fidem exhauſtis.

Hic procelloſi maris jam victor, rapidorumque amnium mox ductor, ut omnem virtutis lau-

dem

dem in actione posuit, ita dum a celebrato labore vacabat, per Finlandiam, victu cultuque majorum gratam, sed ira & victoria hostium tristem, crebra & prospera itinera suscepit, ubertati agrorum & mutationi ementium consulturus. Ignota vero & imperio utilia pro magnificis ducens, omnia scire, omnia exsequi voluit. Modo itaque silvarum & montium profunda, modo vadorum & fluminum adversa, quæ fortibus vel lenibus stagnis effusa, circumjectis campis nocitura videbantur, penetravit, circumspectavit, prætentavit: omniaque obstacula suo momento, libra & ratione ponderavit & examinavit, ut quas aquas natura interjectu terrarum disjunxerat, copula artis conjungeret. Ubi autem ejusmodi loca, quæ arduo situ plus impensæ, quam utilitatis fodientibus allatura essent, occurrebant, ibi nec animi & consilii inops, novum machinæ genus excogitavit, ita faciendum, ut ejus ope navigia terram quasi transnatarent, rotulis mobilitati aquæ, & trochleis potestati venti substitutis. Quamquam vero hæc maximopere probata & laudata sunt, tamen vitio infirmitatis humanæ, quo opera tardiora sunt, quam consilia, adhuc neglecta jacent.

Ipſe jam tum factis magnificus, factorumque verecundus æſtimator haud minor, fatis ad majora rerum initia ducebatur. Auctoritati ſummi imperii obſequens, itinere ſemel iterumque vel per Norlandiæ acclivia & declivia, vel per ſeptentrionalis maris glaciata & ambigua facto, Holmiam, comitiis florentiſſimam, pervenit. Publici vero voti & ſecreti concilii particeps factus, Gothicas deinde aquas, fluviales, ſtagnantes, petiit: quarum rapidas compeſcere, pigras celerare, & alteram altera ita temperare ſtuduit, ut pari ſtarent faſtigio, exitioſæ inundationis impedimento. Maximam vero ſollertiæ & induſtriæ partem ſibi vindicabat Gothorum Albis, ingentem vim aquæ vehens, tamen navium impatiens: cujus alveo navigabili reddendo nec publica hortamenta & præmia, nec privata ſtudia & ingenia defuerunt. Hæ curæ tanto graviores, quanto ipſa res major viſa eſt, domeſticæ & laboranti rei utilis & honeſta, vicinæ & æmulæ genti ſuſpecta & inviſa, quaſi hujus decus & robur hoc cuniculo ſubrueretur. Primus omnium Polhemus, proſpera ſua arte expeditus ac tentabundus, horrenda Trollhettæ præcipitia ad calculos vocavit, & adverſi fluminis impetum pa-

ratis

ratis aquæ receptaculis excipi & vinci posse statuit. Bona item fide & magno conatu res deinceps acta, & ingens moles aquæ fluctibus opposita; sed subita ejus strages secuta est, manifesto exemplo, naturam plus, quam artem valere. Magna hinc trepidatio, varia consilia, & multum periculi & laboris nequicquam exhaustum. Ista ruina, & hoc desperato tentamine vox populi Svecani, vota civium, spes gentium, commoditas commerciorum, ad irritum cecidisse videbantur. Accessit demum Thunberg, naturæ semper minister, nunquam magister: mala ex propinquo vidit, & remedia anfractu quæsivit, vir prudens, rationi plus, quam fortunæ confidens. Cataractæ summa & ima hic perscrutatus, & fraudem confragosi fundi, vim rapidi torrentis, atque humani operis fragilitatem expertus, tempus & locum insidiis circumspectare cœpit. Ne vero rem tanti momenti secundo discrimini committeret, nihil ex aperto audendum, sed flumini per obliqua occurrendum putavit, homo cautus, & quid in utramque partem accidere posset, ante constituens. Viam sic consultius, quam audacter monstravit, qua, nisi labori & studio pecunia defuerit, navibus & opibus ad Trollhettæ cacumina facilis dabitur transitus.

Ut

Ut autem usus tanti consilii latius pateret, pari regii mandati reverentia & communis utilitatis studio, alveum illius fluminis cum aperto mari, urbem Sudercopiam alluente, connectere studuit. Igitur magnis itineribus per interjectas aquas & terras factis, brevia & profunda, plana & præerupta partim suis, partim alienis oculis perlustravit, & mediterranea loca navali rei & gloriæ idonea diligenter & accurate definivit, ipse consilii auctor & dux, Schvedero, hodierno Trollhettræ præfecto, operis administro & comite. Hæc omnia, quæ magna futuri spe in privato thesauro perfecta ingenio & studio elaborata latent, si nostra ætas efficere non possit, satis habebit, tanti ingenii exemplum prodidisse.

Quamquam vero opera, de quibus disserui, maxima sunt, tamen alia dantur majora, quæ lectu quidem jucunda, mihi autem relatu difficilia erunt. Thunberg, quem tempus & dies meliorem fecit, negotio navalium Carlscronensium cum Ordinibus regni contracto, ad hoc opus, natura & arte vincendum, omnia sua consilia & facta retulit. Prima pars laboris saxa & fluctus habebat, & sua invii

specie

ſpecie ancipitem cogitandi agendique curam facie-bat, magno & profundo maris ſinu, aſpero, limo-ſo, ſiccando & æquando. Tantæ erat molis, fun-damenta ſemper manſuri monumenti collocare. Recon-dita vero pelagi partim ſingulari tubo, partim feneſtra-to dolio, utroque in profundum demerſo, explorata: cæca ſaxa pulvere pyrio & duobus ferri cuneis, novo & ſubtili invento, perrupta: cæſa & coacta ingens ma-teriæ copia, & magna lignorum ſtrues ab utraque littoris parte intermiſſis lapidum arcis facta, duce ad operis conſilium, quod non tam a ſuis quam a Polhemi artibus capere juſſus erat, exſequendum intento, ſed ob ſummam ejus difficultatem fidente, diffidente. Tamen ſtudio obſequii & onere officii ſe opprimi maluit, quam id, quod ſibi publica fide impoſitum erat, propter deſperationem vel animi infirmitatem deponere. Memoratus agger præceps ruit, metu artificis non vano. Poſtquam enim magna pars aquæ ope molæ ad ventum ſe circumagentis exhauſta erat, augeſcente & volvente fluctu, ex transverſo ruptus eſt. Quæ res com-plorata, etſi non culpæ, ſed fortunæ tribuenda erat, tamen architectum ſtupore & trepidatione torpidum defixit. Ut autem cœli mariſque tempe-

riem

procumbit, duobus cardinibus instar januæ, tamen transversim vertitur, & ope tantum atque miraculo annexæ cistæ panditur vel clauditur: scilicet, hac cista aquis inani, adscendit; ea autem aquis plena, descendit. Vestibulum prospectant quinque limina, decem navium cameris, binis in directum cohærentibus, & pro modo carinarum latis & profundis, compendiose & excelse destinata. Hæc hospitia, quæ omnia ad exemplum jampridem fastigiati exstruenda sunt, imbrem, humiferum & edacem, prominentibus tectis arcebunt, & ventum, salubre aëris pigri & manentis temperamentum, apertis valvis quasi invitabunt & excipient. Ut autem, quæ magna sunt, dividi oportet, ne sua magnitudine laborent, ita & hoc opus, quo non aliud majus, duas habebit partes, alteram optimo omine inchoatam & longe provectam, alteram communi voto inchoandam & sensim perficiendam. Utriusque eadem erit facies, eadem materiæ gratia, eadem formæ dignitas, eadem lineamentorum venustas, eadem camerarum multitudo & magnitudo, idem portus; nullo alio discrimine, quam exstructo muro, qui immissam utriusque aquam vel suo in-

terjectu distinguet, vel suo meatu communicabit. Totum sua specie referet urbem, tectis, si numerus spectetur, minimam, si magnificentia, amplissimam, si opulentia, potentissimam. Nam singulæ navium cameræ, quæ numero viginti, & omnes pari intervallo discretæ, in decem radios a centro portus prosilient, totidem sublimia templa videbuntur, & rem imperii navalem, decus in pace, præsidium in bello, scriniis quasi conditam servabunt. Profecto in hoc navalium opere, quod ille optime laudaverit, qui fidelissime narraverit, ea est ars inventionis, is materiæ delectus, is ordo rerum, & is compositionis decor, ut si nostris de ejus præstantia & usu judiciis malignitas & invidia moram fecerit, verum dictura sit posteritas. Etsi autem satis intelligo, ea, quæ visenti miranda sunt, nec legenti ingrata fore, tamen omnes tantæ fabricæ angulos tecum circumire, prohibet scriptoris festinatio, ut cætera, quæ ad vitam excellentis viri pertineant, explicem.

Thunberg, postquam tot pericula, tot labores, seu constantia adversus iniqua hominum judicia tulerat, seu patientia adversus ipsam rerum na-

turam

turam vicerat, emendationem alienæ quoque artis in gloriam ſui nominis vertit. Haud minori affectu vetera & utilia, quam nova & decora concupiſcens, non modo ſpatium Polhemiani navalis loci, qui quaſſatam navem cavata excipiet rupe, opportune amplificavit, ſed etiam virtutem Polhemianæ ibi antliæ, quæ ingreſſam cum nave aquam ſecretiori ejiciet ambitu, mirifice auxit. Nec minoris eſt inventionis & uſus illa ratis vectoria, quæ duobus equis acta, & paucis hominibus gubernata, plurimum ſordis in navalium fundo collectæ quam breviſſimo & facillimo negotio extrahet. Quæ vero machina quo plus ſimplicitatis in fronte oſtendit, eo plus artis in receſſu habet; naturæ quadam induſtria, qua ea, quæ magna ſunt, non tument.

Sequitur aliud opus, quod generi humano ſemper in voto, non facultate fuit; non quaſi de judiciis antiquorum, qui poſteris varie profuerunt, male exiſtimetur, ſed ut de ſtudiis Thunbergi, qui primus omnium hoc ipſum cogitatione & opera aſſecutus eſt, præclare dicatur. Summa neceſſitate & difficultate jaciendi fundamenti, cui navalium

cellæ

cellæ penuariæ imponerentur, propofita, propter maris altitudinem, hanc hujus operis rationem instituit. Primum crates quadrangulas, fingulas quatuor ftipitibus innixas, & inter fe junctas, in profunditatem quinque pedum a fummo aquæ demifit. Tum per cratium foramina, modicis intervallis diftantia, in fundum defixit tigna, ab imo præacuta, quæ a latere continentis directa; contra autem faciem & impetum maris paullum obliqua fiftucis adegit. Deinde hæc tigna, ope fingularis ferræ proxime ad crates præcifa, transverfisque trabibus conjuncta ftabilivit. Tandem in hanc contignationem, velut firmum folum, qui cæmento porcellanæ & ufu cæfi faxi ftructum & lintribus impofitum fuerat, murum fenfim & ordine demerfit: cujusque lintris tabulato in aqua relicto, lateribus autem in novum ufum fublatis. Ita res hæc in fundo; quo autem occultior, eo magnificentior.

Sed quantum admirationis hæc varia navalium opera, tantum quoque laudis ea Thunbergi induftria habet, qua infulari & fitienti eorum fedi & urbi copiam aquæ fluvialis, folatium obfidionis, fub-

ſubſidium ſecuritatis, cohærentibus & ex longinquo per maris fundum inductis fiſtulis jamdiu ſuppeditaſſet, niſi fortunæ & occaſionis inopia ſusceptionem ſaluberrimi conſilii & perfectionem tardaſſet. Rem curæ poſteritatis commendat non operis modo ſumma neceſſitas, ſed perpetuitatis etiam certa fides, quam nobis fama auctoris fecit, illas fiſtulas, ſi qua læſa fuerit, facile reperiri & refici poſſe, mutuis earum nexibus non ſolutis.

At ſpes & commemoratio hujus abditi & fagini canalis nos ad primas ejus origines, proximaque originibus humana decora, ultima Thunbergi opera, ducit. Huc adeuntium ſpectaculo ſe offert primum pulcherrima regionis facies, qualem ſola rerum natura, & deinde præſtantiſſima humani ingenii documenta, qualia ars tantum Thunbergiana effingere potuerit. Notum eſt flumen, nomine olim oppidi, jam vici Lyckeby celebre, magnum & declive; de quo navalis civitas aquam magno pretio emit vectam, Thunbergianis autem tubulis profluentem gratis accipiet. Manat hæc per effuſam planitiem, pinquibus collibus, & continuis, intermiſſis jugis gratiſſima varietate læ-

tiſſimam.

tissimam. Quam vero summam fluminis amœnitatem duo Thunbergi monumenta quoque miram reddunt. Alterum est agger, per artem obliquus, introrsus sinuatus, subjecta ad hiantis molis examen porticula pervius, atque occulto ad fluitantis alvei decursum foramine facile reparabilis; conspicuo fastigio, & miro aquæ vel decrescentis objectu, vel radiantis adspectu, vel abundantis strepitu. Quod opus cum prætereuntes cunctando mirabuntur, auctorem sola reverentia videbunt. Alterum, & sub hujus aggeris radicibus pari arte & opere eminens, est pons lapideus, orbis sublimis & in aëre pendens, radio triginta pedum centroque amnis fundo descriptus, & similium in patria rerum princeps. Quem vero transeuntes sæculo Romano se natos putabunt, & quem intuentes triumphalem Thunbergi arcum dicent.

Sed Thunberg non minus vita & moribus egregius, quam fama & operibus magnificus, operumque præmiis felix. Quo major obscuritas & notabilior paupertas nascentem circumsteterit, eo plura & illustriora virtutis & prosperitatis documenta viventem ornarunt. Quanto plus ingenio & arte valuit,

valuit, tanto facilius honores assecutus est, tanto magis in ipsis honoribus alios superavit, tanto plus apud Principem favoris, auctoritatis apud Patricios, nominis apud Cives paravit. Sine commendatione sauguinis, sine opibus, suæ tantum naturæ & industriæ pretio, publicæ pecuniæ repetita munera, privatæ domus nobilitatem, Vasiaci ordinis equestrem dignitatem, præfecti navalium & Trollhettæ honorem, Academiæ Scientiarum Stockholmensis & Physiographicæ Societatis Lundensis civitatem, totius orbis gratiam obtinuit. Nec ulli aut major gloria, aut splendidior opulentia fuit, quam illi homini, cui nolenti tot insignia, inscientique tanta bona oblata esse novimus. Ut autem umbra est luminis, ita invidia, commune infirmitatis humanæ vitium, magni viri comes: cujus tamen molimina vel elusit, vel contemsit, nec falsa infamia, nec vana gloria motus.

Hoc boni civis exemplum est, quod, cum diversis civium animis distractisque sententiis res publica premeretur, non florentis, sed optimæ partis & esset, & existimaretur. Suo ingenio, non alieno impulsu, sine ambitu, in commune semper

con-

consuluit, nec pecuniæ nec gratiæ contactu in favorem aut odium actus. Etenim dum alii non tam de sua libertate quam servitute certabant, inter duo extrema ille medius argumenta media, nec ob iram nec ob studium falsa, ad communem pacem & utilitatem contulit. Contendit inter se mala licentiæ, quæ non interpretando accendit, sed persuadendo pro virili composuit, suæ orationi nullum lenocinium aut pretium addens. Nec comitiis interfuit, nisi ubi præsenti ejus ingenio in navalis operis consilium opus fuit. Sicut & quamquam in libera civitate natus erat, parere, quam imperare maluit, modestiam integri judicii & virtutem incorruptæ fidei vera esse civium nomina sibi persuadens. Hac autem vivendi ratione & via, quam non inertia, sed judicio ingressus erat, suæ & dignitati & tranquillitati serviebat. Ut enim illius vox pro republica semper honesta, ita nec ipsi, cum alii in summo aut fastigio aut periculo essent, unquam anceps fuit. Tamen, quæ fato manebant, non effugit. Jactatus enim est civilibus circa consilium eligendi Principis Adolphi Friderici fluctibus; quæ iræ nec sine sanguine steterunt. Tamen in publico hoc periculo

non

non animus, non ratio publicæ rei defuit. Auctoribus & administris tam cæcæ & effrenatæ audaciæ obviam hic Holmiæ ivit, nec minaci tumultuantis catervæ vultu territus, nec vario trepidantis turbæ impulsu impeditus. Nam amentes & furentes circumivit, & quosdam, quibus Falunæ plurimum usus est, noscitavit, prehensavit, in vota & preces pro patria effusus. Tantæque pietati, verbis ultro citroque habitis, promto obsequio satisfactum. Scilicet humanitas obvii oris, & sanctitas veteris hospitii multis rebellantium verecundiam majestatis, pudorem erroris, & finem sceleris fecit.

Neque vero minus ille vir optimus paterfamilias, quam clarissimus civis habitus est. Quæ laus eo major est, quo multis haud minus difficile est, domum suam coërcere, quam munus obire. Familia usus est, quam specie vix mediocrem, usu optimam dixeris. Namque in ea servi erant non multi ad ostentationem, sed boni, & omnes fide industrii, ita ut ne unico quidem pedissequo a rebus domestici cultus abesse licuerit vel placuerit. Sæpius autem parcendo, quam castigando, æmula-

tionem

tionem laboris oftentavit, fuique amorem excitavit. Quo acceffit, quod elegans & fplendidus pro dignitate, non magnificus & fumtuofus pro facultate, veftes nec exquifitas, nec negligenter geffit, & convivia non magnitudine, fed ratione metitus eft. Tamen, domus concurfu fplendidiffimorum hominum frequens erat; & fubinde apud eum cœnatum eft; fed fine luxu, quem non humanitatis apparatum, fed fervitutis obfequium vocavit. At in conviĉtibus & hofpitiis fimplices jocos & magna cogitata mifcuit, tanquam animus nullo magis tempore vel ad illa patefcat, vel ad hæc inardefcat. Omnia viciffim fpeĉtaculorum genera ei odiofa; præterquam enim quod ludicri theatri pretium voluptatem effe, non utilitatem fpeĉtantium ftatuit, fcenæ venuftatem cum fuæ artis dignitate confiftere non poffe judicavit. Rufticum vero prædium ipfe habuit, nomine Vedby, opportunitate loci & amœnitate ædificii fpeĉtandum. Quæ villa circiter decem tantum millibus paffuum a navalibus recedit, ita ut, compofitis eorum diurnis curis, falvo jam die, eo reverti potuerit. Cujus autem teĉta, quæ ab illo condita pulcherrimum hortum a tergo & lateribus, & a fronte feftivam areolam intuentur, plus

plus gratiæ quam sumtus habent. Hoc summi artificis hibernaculum, hoc æstivum, hoc studiorum gymnasium, murmuri maris, licentiæ dierum, & vocibus urbis satis longe subductum, ubi & animo & corpore bene valuit.

Nec quicquam eo præstabilius fuit, vel spe indigentium, vel gratia accipientium. In dando munificus erat, in exigendo multa multis de suo jure cedens, & in omni re contrahenda æquus & facilis. Necessitatibusque aliorum aut pecunia, quod promtius & diti homini facilius est, aut opera, quod honestius & claro viro dignius, libenter & cumulate subvenit. Quod autem ex arca vel virtute depromsit, ut id diutius depromere posset, curæ fuit. Quare ne fontem benignitatis profusione largitionis exhauriret, modum ad suas facultates retulit. Sic dum materia munificentiæ per raptus nunquam opus habebat, eorum odia, quibus nihil adimere cogebatur, æque evitavit, atque eorum studia, quibus dederat, comparavit. Ejus vero liberalitatem nec callidam nec temporariam fuisse, ex eo judicari potest, quod non gratiam potentis, sed necessitatem indigentis spectavit.

ctavit. Vir illustris & benignus non citius domum fortunato quam afflicto reseravit, nec manum promtius gratia referenda quam habenda valenti aperuit. Non audivi, sed vidi, non accepi, sed interfui. Pari modo, cum quis versuram facere necesse haberet, noster vel pecuniam sine ulla stipulatione & fœnore credidit, vel æquam ejus conditionem dedit, maximum ponens quæstum in hoc accipientis judicio, se in collocandis beneficiis homini, non fortunæ amicum fuisse. Cum autem nemo illo minus esset alienæ pecuniæ appetens, minus suæ prodigus, nemo illo plus fuit publicæ avarus & parcus. Tam vero excelsi & Romani animi hoc nobis erit specimen, quod, cum pluribus classiariis vel militibus ad sua commoda per legem gratis uti posset, hoc beneficium juris ita usurpaverit, ut vel ipse pretium daret, vel in navalem operam transferret; raro sæculi exemplo, amorem patriæ plus, quam sui ipsius, apud aliquem valuisse.

Enimvero ad sublimia facta, non subtilia dicta, natus, initia & gradus vitæ non ad rerum occultarum inanem investigationem, sed ad utilium splendidam operam retulit. Quod autem experimen-

mentis magis, quam præceptis, suo potius ingenio, quam per alienam artem factum est. Disciplinæ, quam complectebatur, ita studuit, ut ejus secretis, non curiosis, sed necessariis meditationem, & meditationi facultatem & usum adderet, secum potius, quam cum aliis deliberans, constituens, certans. Sic quicquid egit, qua gloria patet, quæ certe maxima est, totum illius hoc est. Quod quia non tam ab aliis didicit & accepit, quam a se ipso arripuit & expressit, eo majus existimetur, quod quæ marte proprio elaborata, ea laudabiliora habentur. Igitur mirum non videbitur, hunc hominem sic a natura ad magna opera informatum vocibus præcipientium parere noluisse, & plus temporis & industriæ in rebus gerendis, quam litteris cognoscendis posuisse. Tamen, si dicendum, quod res est, mechanicæ scientiæ abstrusa magis despiciebat, quam ejus utilia ignorabat.

Matrimonium quo majoris momenti res est, eo minus festinatum. Quinquaginta & tres annos natus, sed casta juventute validus, & virtutis, non nobilitatis amore ductus, honestam virginem, Dorotheam Mariam Norèn, Carlscronensis Senatoris filiam,

filiam, uxorem duxit. Quid illa conjuge vel integritate ſanctius, vel vita antiquius, vel cultu modeſtius, vel inceſſu honeſtius? Mira concordia & nuptialium ſacrorum cura vixerunt, ſe invicem amanter & modeſte complectendo & anteponendo. Incipientis etiam conjugii auſpicia fauſta. Nata eſt filia, unde arctius & ſanctius vinculum ſanguinis. Hæc autem mature decedens animum domeſtico & gravi vulnere adflixit. Cujus tamen caſus ſolatium, non oblivionem filius, mox genitus, & jam juvenis optimæ ſpei attulit. Inſtitutusque hic domi forisque ad parentis artem, ad quem hæreditas gloriæ & factorum imitatio pertinet.

Si habitum quoque illius viri poſteri cognoſcere velint, firmitas, non proceritas, ſtricti artus, forma apta & congruens, dignitas oris, vis oculorum, ſeveritas vultus, ætatis indeflexa maturitas, & capitis decus, ſenectutis cæſaries, eum decentiorem, quam ſublimiorem, magnos viros ſpecie externa non æſtimantibus oſtentarunt. Quæ autem fortuita magnam a virtutum concentu commendationem accepere. Nam ad ſeveritatem comitas, ad gravitatem facilitas, ad auctoritatem humanitas acceſſit,

ceſſit, ut difficile dictu ſit, utrum ſui magis reverentiam, an amorem aliis attulerit.

Nullo autem labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris & frigoris par patientia: cibi & potionis modus deſiderio naturæ, non voluptate definitus: quantaque judicii vis, tanta etiam memoriæ felicitas & orationis facilitas. Ingenua tamen & nuda omnium mens, in qua nihil obſcuri, ambigui, ſimulati compertum. Nam procul ab aſſentatione, peſſimo ſervitutis malo, procul a malignitate, fœda libertatis licentia, ſecreta pectoris patebant, ita ut ejus ſilentium non timeres.

Ceterum tempora curarum & remiſſionum optime diviſa. Ubi labor poſcebat, gravis & intentus, non impetu & ira, ſed ſeveritate & diſciplina uſus eſt. Svadendi tamen magis auctoritate, quam jubendi poteſtate, exemplo potius, quam imperio, alios anteivit, laudando promtos, increpando ſegnes, præcipuo laboris incitamento. Arduas autem res eo confidentius & promtius ſuſcepit, quo melius earum occaſiones novit, & quo facilius hominem inter ancipites inclareſcere, putavit.

navit. Multumque consilii in providendo, nec minus industriæ in agendo, & tantumden celeritatis in conficiendo erat. Id vero quod negotiis superfuit, quieti datum est, vel agri colendi studio, vel ambulationi, vel chartarum ludo, non in quæstum, sed animi delectationem. Nam in ancipiti alea vincere inhonestum, vinci sordidum putavit; fortunaque in dubiis, velut virtus in certis posita fuit.

Modestiæ adhuc nullum afferre majus testimonium possum, quam quod quanta sollertia in agendo, tanta verecundia in prædicando fuerit. Gnarusque, plus periculi esse ex magna, quam ex parva fama, in suam gestis non exsultavit: quam tamen dissimulatione supprimere non potuit, ipsis operibus sui sanctissimis testibus, & maximis laudatoribus. Atque quod tempus alii, ad simulationem parati, & in arrogantiam compositi, per ambitum & ostentationem transigunt, in rem & nomen Svecanum id ita contulerat, ut dici possit, eum non familiæ, sed reipublicæ magnam partem vixisse. Ex quo factum est, ut princeps suæ artis ab ipso principe cum quadam reverentia dilectus sit. Quemadmodum nec minori gratia quam fama valens ci-

vium

vium quoque amicitiam vel clientelam tulit. Ehrensfwerd, vir ampliſſimus, quem unum nominasſe ſufficiat, hunc hominem ſibi proximum & conjunctiſſimum habuit; nulla inter eos cognatione, nulla neceſſitudine, niſi quod uterque artis ſuæ præclarus erat. Litteræ ab illo imperatore ad Thunbergum miſſæ, quibus nihil vel compoſitione melius vel argumento gratius legi, venerabili, optimo, proprio ſuo ſeni inſcriptæ, teſtatum faciunt, inter armatum & togatum omnia ſummæ familiaritatis privilegia interceſſiſſe.

Tamen non dixerim, aliquid humani Noſtrum non paſſum fuiſſe. Quod autem magisne vituperandum quam laudandum ſit, neſcio; quippe cum temperamenti, non propoſiti, & honeſti aut magnifici cujusdam facti instrumentum id fuerit. Præceps erat ingenio in iram; ſed ex iracundia nihil ſupererat. Plerumque etiam ſui judicii ille homo, & recti pertinax; ſed potius, quid fieri par esſet, quam quid alii laudibus ferrent, ſpectabat. Hinc in colloquio repugnantiæ impatiens; ſed colloquentem offendere, quam vultum callide ad modeſtiam componere maluit. Aliquando autem

de rebus, quam pro tempore, minus caute loquebatur; ſed hac dicendi libertate id effecit, ut nullum vel occultum hoſtem vel ſimulatum amicum haberet. Adeo, ſi quid mali in illo viro fuit, in ſe ſui remedium id habuit.

Hæc Thunbergi admiranda opera, hæ laudandæ virtutes, hæc approbanda vel excuſanda vitia: quæ vere æſtimans, ea magni bonique viri fuiſſe libenter dixerit.

Cum autem eo neceſſitatis ventum erat, ut ejus ſenectus plus conferre reipublicæ non poſſet, quam votum boni ſucceſſoris, datus eſt Ankarſverd, vi & celeritate ingenii atque operis conſpicuus; quo viro ſibi ad ſui exempli imitamentum adjuncto, ſenex videri deſiit. Hæc autem otia, quæ Rex Auguſtus quo ægrius eo honorificentius ei fecerat, in omni cogitandi cura & vigilandi labore conſumſit, præſagiente quaſi animo, brevi ſibi e vita excedendum fore. Venerabili ſeni non vires & memoria, tamen judicium & induſtria permanſit. Etenim mens ſua, non languida & iners, ſed ſemper aliquid agens & moliens, cum nihil amplius operâ aſſequi poſſet, in ſtudiis ſuæ

artis

artis consiliisque capiendis de continuo inter aquas, quibus Vettern & Vennern nomina indita, aquæductu versabatur. Sed singularis exempli virum his curis defixum cœlo vindicabat Deus, ut non minus iis, quæ agere voluit, quam iis, quæ potuit, gloriosus moriretur.

Cum tali modo octo & septuaginta annos, grande mortalis ævi spatium, complevisset, ut nemini vel dignitate vitæ vel perpetuitate famæ cessurus sit, nactus est morbum, fallenti vestigio, quo fastigium suburbanæ suæ domui imponens, ad gravem casum præceps fuit datus, ex proximorum opinione tribuendum. Remedia proponebantur, sed vis fati major erat, cui constans & libens concessit, amantissima uxore assidente (suprema solatia), & filio ultima morum præcepta excipiente. Satis sibi ipse vixerat, satis naturæ, satis gloriæ, parum vero patriæ, parum perfectioni maximorum operum, quorum fundamenta jecit. Meminisse exteris, laudare patriæ, lugere familiæ pium & honestum.

Qualis autem vita fuit, talis quoque mortis fama, & funeris pompa. Thunbergum obisse,

pri-

primum vagus & incertus rumor: mox, qui interfuit, id affirmat. Hinc attoniti vultus, & tale silentium, quale magni doloris esse solet: studiis etiam navalium languentibus, torpentibus. Ad justa sepulcralia ruunt boni, magna vulgi frequentia: antecedunt noti, ignoti proximos, certant cum præcurrentibus, & mortuum magnifice compositum lacrimis & laudibus prosequuntur.

Dum vixit, publica & æterna ejus monumenta, quasi fœdera antiqua, quasi sacræ leges, inscripta literis fuerunt aureis; quæ nomen Domini, nomen Artificis dicunt. Si mortuus statuam quoque habiturus sit; qui eam non in ingenii operumque memoriam, quæ perpetua erit, sed in corporis speciem, quæ caduca fuit, summa arte & ex optima materia effictam sanctissimo loco posuerit, non minorem pietatis gloriam, quam ille qui meruit, nominis, tulerit. Sed ut ætas os hominis, ita vetustas simulacrum oris conficit & consumit. Arcus & statuas vel barbaries demolitur, vel incuria negligit, vel invidia carpit: vera & æterna est gloria, in quam nihil flammis, nihil tempori, nihil successoribus liceat. Ergo major erit honos & pietas,

pietas, Thunbergum ita venerari, ut quicquid ex eo amavimus, & quicquid mirati ſumus, ſempiterna potius mentis memoria, quam perituræ artis ſimilitudine decoremus. Formam magni hominis figuramque non imago melius prorogabit, quam favor poſteritatis exprimet & tenebit. Multorum veterum famam curamque oblivio obſcurabit. Thunberg, cujus tropæis & monumentis nihil detrahet diuturnitas, ſuperſtes erit, vindicato ſeptentrionalis cœli arcano, ſidera non occidere, ſed tranſire.

II. Panegyricus defunꝺo NICOLAO SCHENMARK, Mathematum Profeſſori diꝺus *).

Quis ego in hanc concionem proceſſerim, dicere non poſſum. Oratorem me vocare non ſuſtineo, tot tantisque viris, qui & ingenio & litteris famam eloquentiæ conſecuti ſunt, ſedendi tacendique modeſtiam cuſtodientibus. Tamen ad hoc nomen, ſive optandum erat, ſive timendum, non quæſitus ſum unus, qui maximo ingenio, ſed ſumtus ex omnibus, qui promtiſſimo obſequio dicere poſſem. Tam honorifico officio me imparem exiſtimabam, ſi recepiſſem, extra periculum, ſi recuſaſſem. Tandem verecundia metum vicit, & pietas me acrius, quam confidentius excitavit.

Noſtra autem oratio quantum diſcriminis in contextu, tantum trepidationis in initio habitura eſt. Timorem adfert majeſtas loci pudorque: terret oculos hic lugubris proſpeꝺus, ſecretæ &

liberæ

*) die VI Dec. MDCCLXXXVIII in Auditoris Carolino.

liberæ mœstitiæ religiosus testis: consilium turbat frequens concio, & publica exspectatio, tristis silentii impatiens: animum sollicitant priores & futuri oratores, qui meo nomini officient: hæsitationem facit ipsa materia, quia, ubi defunctum NICOLAUM SCHENMARK, nostræ civitatis clarissimum virum, pro rostris laudabo, difficilis erit modus. Ad tantam & tam multiplicem sollicitudinem, quæ vel exercitatam eloquentiam debilitaret, accedit etiam magnus animi dolor. Excessit e vita, quo non melior quisquam, nec doctior, nobis quærendus, ut exemplar prioris ævi, mihi autem præcipue desiderandus, qui illum quot publice observandi, totidem privatim diligendi caussas habui. Me enim, qui peregrinus in his terris nullum cognatum, nullum propinquum habeo, familiaritatis & hospitii jure ita sibi conjunctum esse voluit, ut nihil vel necessitudine vel consuetudine potuerit esse conjunctius. In hac autem amicitia, quam non natura peperit, sed benevolentia conciliavit, nihil temporis caussa fictum, vel utilitatis gratia simulatum fuit. Nemo itaque mirabitur, si lingua metu, & animus dolore hæserit, cum in hoc cœtu dixero, quo viro Academia, quo amico ego caream.

Lan-

Languentibus autem ſtudiis fidem & animum oſtentat veſter amor, veſter favor, noſtri affectus dux aut ſocius. Cujus enim exſequias nuper lacrimis, caritatis ſignis, proſecuti eſtis, illius virtutes hodie laudibus, ſupremo litterarum fructu, cumulare, præcipuum eſſe amicorum officium, exiſtimabitis. Quamquam ea eſt defuncti memoria, ut nemo pro ea roget, aut ad Senatum referat, tamen, non ſolum noſtro dolori & deſiderio conſtet ſua feſtivitas, ſed etiam antiquo mori & exemplo ſua ſanctitas. Ne itaque quieſcendo commune fiat crimen, memoriam vox ſequatur; quæ ut digna ampliſſimo conceſſu, digna celeberrimo viro, digna intento ſilentio contingat, utrimque erit certamen, hinc votis, inde ſtudiis. Equidem ſcio, me neque de tanti viri vita ſatis commode dicere, neque de ejus morte ſatis graviter conqueri poſſe; tamen claritate rerum, quas geſſit, & fide verborum, qua eas memorabo, me ipſum conſolabor. Meam vero orationem ad illius virtutem & veſtram humanitatem ita ſubmittam, ut omnem & adulantis ſpeciem & exclamantis affectationem, nimium aut inane laudis ſtudium, effugiam. Præclare factis veritas ſufficit,

Me-

Memoriæ defuncti latius consuletur, si ea juste dispensata fuerit, ut, partibus cognitis, de toto recte fiat judicium. Quare hoc temperamentum doloris a vobis, Auditores, peto, ut confirmatis animis accipiatis, quod genus, quæ vita, qui mores fuerint, quibus disciplinis institutus, quibusque artibus honores consecutus sit, quæ virtutes, quæ opera, & si qua alia memoratu digna erunt, donec ad illa tempora perveniam, quibus obitum in sinu vestro deflebo. De his autem omnibus ita mihi dicendum puto, ut nec veram laudem magno viro detraxisse, nec falsam affinxisse videar. Hominis enim excellentis imago, quo verius expressa fuerit, eo pulchrior & diuturnior erit.

NICOLAO SCHENMARK origo fuit ex Ostrogothia anno MDCCXX: nostis vetustatem dignitatemque coloniæ, quæ nomen fortissimæ gentis servat & retinet, olim armis, recentius ingeniis nota. Nulla illi viro natalium claritas & commendatio, speciosis & vanis titulis jactata. Habet vero has vices conditio mortalium, ut velut obscura ex claris, ita clara ex obscuris nascantur. Sic atavi nonnisi verecundia, frugalitate & rusticitate cogniti; avus

avus vero NICOLAUS ANDREÆ beatius putavit, suas & alienas fortunas in judicio versare, quam agris ingemere, & annum exspectare. Qui itaque per caussarum studia ætatem transegit, antiqua magis fide, qua merum reo & innocenti opem tulit, quam ordine Senatorio Schenningensi, qui stirpi cognomen fecit, memorabilis. Sanctius & augustius vitæ genus placuit patri LAURENTIO SCHENMARK, qui lubrico foro sacerdotium prætulit, vir sapiens & ingeniosus, Pastor in Östra Ny & Rönö, fidus, gravis Præpositus, & cana ingentique barba venerabilis senex. Ergo in honesta stirpis origine industria fuit vitæ agrestis, veræ justitiæ solida effigies, & ipsa religionis sanctitas & cærimonia: quæ omnia haud dubia egregiæ posteritatis omina accepta sunt.

Locus nascendi Östra Stenby, magnæ utilitatis & amœnitatis parœcia, antiquis silvis & frugiferis planitiebus passim occurrentibus, quæ purissimum solem miscent & distinguunt, & conceptos vapores salubri temperamento huc & illuc digerunt & ministrant. Hæc cœli salubritas solique ubertas tantum salutis, quantum otii ad studia portendebant.

Edu-

Educationis tædium & laborem suscepit ipsa mater, Brita Wåhlin, optimi Pastoris filia, & singularis exempli mulier, ut eadem, quæ os vultumque dederet, temperamentum quoque daret: laudabilis cura, quo remotior a vernaculo vitio & emta nutrice, eo disciplinæ majorum & severitati propior. Incertum vero est, ex hoc materno & pio nutritu, an ex temperato castoque vitæ habitu plus virium hauserit, quibus partim juvenis maximos labores vicit, partim senex gravissimam valetudinem sustinuit. Pater pari laude rudem animum religionis litteris, & sinceram ac integram naturam honestatis præceptis ipse imbuit, de inscientia vel negligentia præcipientium expertus. Ut autem non minus otium filio tutum, quam negotium utile redderet, non curarum modo, sed remissionum etiam tempora voce vultuque temperavit. Sic puer studiose & intelligenter legit, parce & custodite lusit, & modeste ac integre vixit, obsequio & parendi amore.

Cum autem studia extra limen, ubi nulla vel modica erroribus materia est, foris proferenda essent, sedes iis data fuit Norcopia, finitima urbs

&

& ſchola, cujus gravitas & ſanctitas multum judicii & conſtantiæ allatura videbatur. Hoc loco nec ſegniter, more juvenum, nec licenter ſe geſſit, ſed quantum condiſcipulis ad feſtiva ludorum concedebatur temporis, tantum ſibi ad ſecreta litterarum ſumſit. Adeo quibus artibus animum excoluit, iisdem animum relaxavit.

Ut primum ex pueris iisque diſciplinis, quibus ætas puerilis ad humanitatem informati ſolet, exceſſit, deductus eſt Lincopiam, celebre oppidum & gymnaſium, quo non aliud vel plures libros vel meliores præceptores habet. In diverſis hujus ſubſelliis per quatuor annos, ſalutarem moram, doctoribus & doctrinis operam dedit, docilis ingenio, attentus exercitio, animoque benovolus. Spem vero, quam ſui fecerat puer, adoleſcens virtute ſuperavit. Sed ab ineunte ætate erectum ingenium judiciumque æquale altioribus & mathematicis ſtudiis maxime deditum erat. Quibus tamen verbis ne fidem ex ingenio addiſſe videar, hoc teſtimonium proferre licet. Puero ſeptem annos nato magnum videbatur cœli miraculum, quo luna modo curvata in cornua, modo ex æquo

divi-

divisa, modō in orbem sinuata lucet: haud minus credebatur humanæ artis arcanum, quo fastigium turris sine funis adjumento sub mensuram cadit: ratio autem utriusque quo magis in occulto, eo plus curiositatis attulit. Nec sciscitando, quid esset, ante conquievit, quam pater illi, causâ hujus rei explicata, satisfecisset. Quem vero juvenilem instinctum, vehementius quam caute ardentem, postea nec ratio temperare, nec ætas mitigare, nec valetudo compescere potuit. Quo factum est, ut qui de ingenio plurimum sperabant, de salute plurimum timerent. Bene itaque & providenter a Deo constitutum fuit, ut, qui una lectione nimis sibi prodesse voluisset, variâ mediocriter se delectare deberet.

Gymnasium supra nominatum tamdiu litterarum sedes & morum magistra fuit, donec ætas, virtus eum Academiæ opportunum separavit. Amplius jam & illustrius discendi suæ cupiditati spatium optabat. Cui autem voto cum preces etiam addidisset, tam æquo hoc consilium animo patres & magistri acceperunt, quam ingenium studiumque laudarunt. Testimoniumque vitæ modeste & curiose

riosæ actæ dedit P. Schenberg, studiosæ juventutis amicus, & castæ latinitatis vindex. Ad majora autem nitenti deliberantique, quam Academiam nascenti nec satis adultæ eruditioni magistram eligeret, placuit nostra Carolina, non dicam propter famæ celebritatem, ne invidia sit verbo, sed ob provinciæ ubertatem, quæ ingenia alit & delectat. Nec alia hujus delectus caussa deerat, quo conjunctior, eo valentior. Quanto minus rerum erat domi, tanto plus spei positum in virtute Jonæ Wåhlin, liberalissimi avunculi, & sapientissimi in hoc litterarum templo Archipræpositi. Omnisque fides ex eventu. Iste vir, non magis natura & necessitudine, quam fortuna & voluntate ductus, præstantissimo nepoti, non solum venienti dextram, hospitii insigne, dedit, sed etiam diu in sua domo habitanti omnia vivendi studendique subsidia, maxima generis humani bona, suppeditavit. Quomodo etiam suus in petendis honoribus suasor & auctor, in inchoandis ductor & socius, in gerendis consiliator & testis fuit.

Nec hoc successu rerum, socordius aut negligentius Noster egit. In civitatem hujus Academiæ

miæ & ſuæ nationis ab æſtimantibus adſcitus, hanc duplicem dignitatem ſic tuebatur, ut optimarum tum artium tum partium & eſſet & exiſtimaretur. Non ſane alius ſtudioſius & innocentius vixit, vel naturæ ſuæ & ingenii prono ductu, vel domeſtico & illuſtri exemplo, vel utroque. Nullo unquam eum tempore aut hiſtrionalis favor, aut licentia theatralis, aut equorum gladiatorumque ſtudia, aut ſaltatorum orbes a ſapientiæ ludis, diſcentium optimis curis, ad otium vel voluptatem, peccandi illecebras, avocare potuerunt: quibus ſæculi virtutibus dicam an vitiis obſeſſus animus quantulum loci liberalibus artibus relinquit? Plus voluptatis ei attulit ſecretum muſæi, quam amœnitas urbis, plus lætitiæ auditorium veteris diſciplinæ, quam ſpectaculum audacis laſciviæ, plus utilitatis litterarum doctores, quam fabularum actores. Ne autem mens, quæ in otio ardentius, quam in negotio cupit, & in juventa inconſultius, quam provecta ætate agit, aliquid conſilii in rem turpem ſuſciperet, eam in perpetuo ſcientiæ ſtudio, optimo lubricæ ætatis duce & cuſtode, continuit. Sicut &, cum ſe remitteret, nec cauſſa, quare animi perferret laborem, ſubeſſet, fidibus didicit; non

artifice

artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus. Quamquam hanc artem, repugnante natura, minus commode per intervalla exercuit, tamen illius præcepta acumine, ratione & diligentia optime arripuit; ita ut, si multis chordarum tactu cesserit, haud paucos numerorum & modorum scientia antcierit.

Sed haud ignarus, sapientiam sine moribus male disci, insignes quoque amicitias ambitiose coluit, nec vitiis nec viribus eorum, qui vel intempestivis contuberniis & ludis indulgent, vel res parvas magnis iris & conatibus agunt, mixtus. Non simplex hujus vitæ honos & fructus. Primum A. Silfverschöld, nobilissimus homo, & Aboensis judicii illustris Præses, hunc elegit potissimum, qui suorum ingenia filiorum moresque ad sapientiam & virtutem fingeret: quod vero alienæ indolis experimentum meliorem suæ notitiam attulit, vultum composuit, linguam temperavit, & incessum formavit. Deinde per bonas artes, & quia par videbatur, semel iterumque & tertium rogatus est, qui suæ hoc loco nationis curam susciperet: cujus etiam muneris titulum nec ad arrogantiam, nec ad desi-

desidiam retulit, sed noscere suos populares, nosci illis, bonos laude, segnes exemplo excitare, & omnibus faciem doctrinæ & virtutis, non imaginem præferre intentus erat.

Quanta autem industria & virtus in studiorum cursu, tanta quoque prudentia & ratio in eorum delectu fuit. Omne itaque suum de hac re deliberandi consilium non tam ad fortunam, quæ varia & anceps, quam ad naturam, quæ firma & constans est, contulit. Quo factum est, ut, etsi credebat, nihil studio sacri ordinis esse melius, nihil ad omen prosperæ fortunæ majus, tamen ad mathesin, qua nihil sublimius, nihil ingenio suo accommodatius esse sciebat, animum præcipue adverteret. Spes quidem & præmia in ambiguo: certa autem doctrina & laus. Quocirca hæc scientia eum totum tenuit, habuit, possedit; quem reliquæ artes non nisi per vices partitæ sunt. Scilicet, ut vulgato mori, magno sæculi malo, quo omnibus disciplinis ob incertum unius pretium opera datur, obsequium constaret, variarum rerum scientiam conjunxit. Hinc multum temporis in præclaras quidem res, minus autem ipsi profuturas

ras, exhaustum: sed magnum in ipsa necessitate solatium. Bonum vero studiorum ordinem in hoc viro referre, injuria mathematici ingenii fuerit. Perturbate & præpostere litteras colere, eorum est, qui vel imbecillitate juvenilis judicii, vel inopia aut contemtu experti consilii, vel imitatione imperiti vulgi, ante aliquo studiorum cursu implicantur, quam possunt, quis optime iis conveniat, judicare. Nec hoc alienum malum ei inutile fuit exemplum. Igitur Hebræas etiam, Syriacas, Græcas & Latinas litteras, ingenii nutrimenta & eruditionis oblectamenta, dialecticam, veri & falsi disputatricem & judicem, disciplinam moralem, honesti & inhonesti magistram, historiam, antiquitatis iter & exemplorum copiam, sic animo & studio complexus est, ut ordinem & locum servaverit, qui cujusque non dignitati, sed officio debetur.

Persuasum vero habens, cunctatione nihil esse melius, ubi consilio magis, quam facto opus est, his suis studiis spatium dedit. Quæ sunt inculcanda, infigenda & repetenda, non cursim & breviter transmisit, sed certis ingeniis diu & diligenter immoratus est, quo magis abhorrens ab

eorum

eorum ambitione & periculo, qui per præcipitia inclarescere cupiunt, eo propius accedens ad eorum famam & fortunam, qui tarde sapiunt. Ad fastigium per gradus, ad totum per partes, ad magisterium per clara rudimenta & lex annorum in media hac luce studia pervenit, eruditissimorum semper auditor, & optimorum ubique sectator. Hac autem mora cumulus novarum virium accessit, & præsentibus nihil periit. Adeoque laureata sapientiæ insignia non præpropera prensatione & misero circuitu præcepit, sed longa meditatione & repetita lectione meruit.

Prudens ista cunctatio: neque ea minus utilis, quam gloriosa fuit. Vitam professorii ordinis semper magni fecerat, quoniam sine ambitu claritas nominis paratur, ipsoque tempore major fit & melior, aliis imaginibus, titulis & signis vanis & caducis. Hanc vero dignitatem magis concupiscebat, quam sperabat. At ubi percrebuerat fama, non errans, sed eligens, hunc haud pœnitendum magistrum ad majora quam umbratica natum & institutum fuisse, sine gratia & commendatione, dignus est visus, qui Docens Mathematum & Custos

ſtos Machinarum hoc loco conſtitueretur, haud obſcuro futuræ profeſſionis præſagio. Duplex hæc dignitas; præmii tamen loco nonniſi ſtipendium duplex regium fuit datum, parvum quidem, ſed honorificum operæ pretium. Quod autem publico dono defuit, id privata compenſatum eſt diligentia, nec minori ſtudioſorum fide, quam etiam ſi minus magna, tamen parva mercede cognovit. Hæc tamen honoris & laboris pecunia, ut non modo vitæ ſuſtinendæ, ſed etiam bibliothecæ parandæ ſufficeret, parce & duriter vixit: quod vero honeſtum conſilium factumque iis, quibus honoratos viros vanitate & pompa comparare mos eſt, faſtidio & irriſui fuit. Neque minor laus & induſtria in machinarum cuſtodia fuit. Qui enim unam ſui muneris partem bene adminiſtrabat, nec is in altera peccare voluit. Præterquam quod ipſam cameram, magni theſauri receptaculum, religione & clave ſervavit, inſtrumenta varii & nobilis generis, quæ magnam vel curioſitatis vel utilitatis gratiam habent, pari integritatis & poſteritatis cura tractavit. Eorum enim non ſolum rationes primus omnium inivit, ſed etiam vitia, ſive temporis, ſive negligentiæ fuiſſent, per alios vel

ipſe

ipſe curavit. Eademque natura, quæ facultatem inveniendi tribuerat, fabricandi quoque artem dedit: quarum vero cum altera in ſtudioſiſſimo otio ad legendi faſtidium, tum altera in pleniſſima officina ad animi requiem uſus eſt. Ut enim terra mutatis ſeminibus, ita ingenium variatis ſtudiis delectatur. Ita ſibi aliisque & animo & opera profuit.

De præſentibus modeſte, de ulterioribus magnifice ſentiens, ſpreta viæ longitudine & viatici paucitate, Upſaliam & S. Klingenstiernam petiit, ſenectutis, quæ in illa urbe ſacra eſt, & famæ, quæ in illo homine illuſtris, reverentiſſimus. Quod ingenii iter ad ejus vim & acumen plurimum contulit. Copia conveniendi viri, quem honoris cauſſa nominavi, confeſtim facta eſt, & ne quid impedimenti ex turba fieret, ſingularis & ſecreta diſcendi poteſtas data fuit, notis vocibus datis redditisque. Magnusque ex hoc uſus. Qui minus ingenii, quam princeps ille mathematicorum, a natura acceperat, plus autem induſtriæ, quam quisquam alius ſuorum diſcipulorum a ſe ipſo arripuerat, alterum altero ita temperavit, ut ex utroque ſingulare quoddam & eximium exſtiterit

Redux

Redux ex famosa urbe, quæ exemplis, & a claro doctore, qui præceptis magnopere eum auxerat, ad scribendam latine orationem in natalem AUGUSTISSIMI CAROLI, Principis Hæreditarii Regni Sveogothici, animum adjunxit: quam nec sine magno dictionis & gaudii pondere in pleno, auditorio habuit. Sic & in hoc studiorum genere, quod gravitatem sententiarum verborumque nitorem miscet, consumsit otium, nomenque famæ inseruit. Si vero idem, quod eminentis oratoris ingenium, assequi non potuerit, tamen de ejus studio bene existimabit, qui cogitaverit, quantum inter scientiam subtiliter cogitandi & artem ornate dicendi intercedat discriminis. Satis ej fuit, jactatum ambitionis crimen, quo Mathematici sua in pretio, aliena in fastidio habere arguuntur, suo exemplo diluisse. Nunc novimus, lætitiam & pulchritudinem orationis non minus iis placere, quam perspicientiam veri & sollertiam convenire.

Quo autem magis in ore & fama esse cœpit, eo facilius honores assecutus est, eoque plus in ipsis honoribus alios studio superavit. In notæ & præclaræ operæ pretium Astronomiæ Observatoris

dignitas

dignitas cessit. Eoque præmio sui oblato & accepto, enitebatur multo vigilantius. Nam in obeundo hoc munere, quo nihil ad præstantiam animi humani splendidius, nihil ad reverentiam majestatis divinæ illustrius est, nulli labori & periculo pepercit. Magna cœli solique patientia; nulla somni & quietis discriminata tempora. Meridianum solem & nocturnum frigus non cavebat: eundem locum laboris, quem dignitatis tenebat. Amoreque officii, amore veri, siderum vices facesque diligentissime observavit & sapientissime descripsit, domi lucubrans, foris pernoctans. Quæ vero cura molesta & gravis, sed honora eadem & magnifica. Pulcherrimo enim cuique operi difficultatem imposuit natura. Abruptis excelsa adjacent, & inter periculosa facilius innotescit homo. Igitur tot vigilias, tantasque lucubrationes excepit etiam honos, quem multi sibi optant, pauci vero consequuntur. Vindicarunt sibi hominem, doctrina & fide spectatum, & tempore ac die meliorem futurum, quibus ingenia & studia sine invidia æstimare in more fuit, suumque esse dixerunt. Civis Acad. Scient. Holm. ille factus. Quantum vero in illo honore auctoritatis, quantumque in se facul-

cultatis, quod certe maximum erat, totum hoc, non tam præsens ad gratiam oris & vocis, quam absens ad laudem ſtili & ſcriptionis contulit.

Ipſe jam tum non promtus ſolum ingenio, ſed uſu etiam exercitatus, poteſtatem ſui faciendi occaſionem nactus eſt ampliſſimam. Infirma valetudo & affecta ætas, quæ Phyſices Profeſſori G. Harmens, viro ingenioſo & ſapienti, fuit impedimento, quo minus ipſe ſuum munus tueretur, ſubinde neceſſitudinem fecit alienæ vicis: qua & Noſter, circumfuſa & frequenti corona, in vocem novi doctoris curioſe erecta, præclare functus, in majus innoteſcendi occaſionem nactus eſt. Sic ſecunda adverſis miſcet Deus; quorum cauſſas ſub diverſa ſpecie occultat. Ut autem non ipſe oblatæ occaſioni, ita nec quicquam publicæ exſpectationi defuit. Præſentium enim & animo & ſpectaculo cumulate ſatisfecit, cum non modo obvii & expoſiti experimentum ederet, ſed etiam abditi & ſecreti rationem redderet.

Ubi autem eo famæ perventum erat, ut ejus ſtudia cum exteris ingeniis in contentionem venire poſſe viderentur, id ſingularis favoris a nominatæ

Aca-

Academiæ civibus ultro oblatum fuit, ut quam personam De La Caille, vir ingenio ingeniique operibus felix, in austro ad Caput Bonæ Spei tenebat, eandem Noster in septentrione susciperet, & parallaxin Lunæ, Martis & Veneris accurate definiret. Hic in sua gente honos, hoc apud alios nomen. Rei autem tanti momenti maxime opportunus locus videbatur Hernosandia, Astronomis gratissima sedes, tenui aëre & stellifero cœlo. Huc itaque se contulit, omnibus, quorum intererat, tam illustrem profectionem amore prosequentibus, reditusque desiderium litteras mittendo accipiendoque lenientibus. Annuique temporis, sed perpetuæ laudis certamen cum Gallo initum, & de utriusque judicio & opera valde existimatum bene est. Paria enim paribus respondebant, eventus ad spem, exitus opinioni, fortuna votis.

Spatium longi itineris emensus, & inclementiam cœli ex æquo passus, ad hanc Academiam rediit, honestaque officia, publica & aliena, sua & privata, capessivit, par animo, potior viribus. Ut natura ei nihil melius dedit, quam ut semper vellet, ita fortuna nihil majus, quam ut jam posset

plus,

plus, quam antea, ſtudioſæ juventuti adferre. Suæ enim artis per reperita experimenta peritior, ejusque exercendæ facultate per parata inſtrumenta ornatior, ſatis & rationis & ſubſidii ad formam ſui ingenii varie & diſtincte cupidis diſcendi reddendam habuit. Secreta naturæ, quæ legentem fefellerunt, experimentantem fugere non potuerunt, eaque obſcura, quæ aliqua conjectura duxerat, uſu rerum, optimo diſcendi genere, exploravit.

Hæc autem ſtudia ſecutum eſt factum, rei publicæ utile, ipſi magnificum. Commendante rei claſſiariæ Collegio, id juſſi accepit, ut extremam verſus occidentem regni oram, navigantibus gravem, continua triangulorum ſerie, egregia terram dimetiendi arte, definite deſignaret. Iſto decreto ſpes orbis, honos imperii, & ſecuritas maritimi commercii fidei unius permittebatur. Quæ vero obſtricta ſic etiam liberata eſt. Opus, caſibus varium, ambitu diffuſum, & errore periculoſum, adgreſſus, terras & flumina, plana & prærupta, tranſiit vel circumivit, & ultimi littoris ſitum, oceani ſinus, inſularumque ſpatia, a freto Svinſund vocato, noſtri orbis & Norvegiæ confinio, Cim-

bris-

krishamniam usque diligenter investigavit, definivit, & fama nominis sui implevit. Cum autem in hoc negotio versaretur, hortante Academiæ Senatu, cujus auctoritas pro ratione suffecit, ad partes Physicæ aut Mathematicæ professionis sustinendas semel iterumque redire oportuit. Tamen quantum festivi otii ab his vicariis laboribus superfuit, intermissis studiis de integro tributum est. Quemadmodum in tanta quoque angustia temporis & occupatione ambitionis, tandem iis inchoatis & longe provectis fastigium, victa locorum tempestatumque iniquitate, impositum fuit.

Hanc gloriam, in publico partam, nec in secessu minuit. Cum Strœmstadiæ, constituendæ hujus loci longitudini intentus, commoraretur, quantum vocatio publici negotii, nubilique cœli facies tribuit opportunitatis, ad ardua studia retulit, hoc consilio, ut ea ambitioni studiosorum pervia redderet. Sic diffusum C. Maclaurini opus, quod Methodus Fluxionum inscribitur, in compendium, temporis, pecuniæ & operæ futurum aliis lucrum, pari ingenio & cura latine redactum est: sublatis, quæ re superflua, mutatis, quæ

ordine impedita, & quæ obscura sensu, explicatis. Studioque tam vario & præclaro proximam ad sublimia hujus doctrinæ fastigia viam iis monstravit, quibus natura ingenium, fortuna occasionem, & discendi cupiditas alacritatem dedit. Adeo nunquam minus otio indulsit, quam cum otiosus esset.

Quam vero decora studiorum forma, tam honesta quoque ambitio honorumque contentio fuit, etsi eventu varia, sæpius cassis laboribus & infructuosis precibus. Præmia enim meritorum optavit & cupivit, non impudenter rogans, & effusis ambitus largitionibus, sed more majorum, & conservatis legibus tempestive accedens, ætate & ratione spectatus, doctrina notus, virtute amabilis, ipsaque paupertate commendabilis. Valensque his pretiis, non fautoribus, petiit, primum ut Astronomiæ Observator Upsaliæ, tum ut Matheseos Lector Lincopiæ, deinde ut Scholæ Rector eodem loco, post ut Gymnasii Classiarii Doctor Carlscronæ, & ultimo ut Oeconomiæ Professor ad hanc Academiam fieret. Egregia vota, nec minus præclara de iis judicia secuta; sed irritus successus, & honos, quem meruit tantum. Tamen ne aut temere desperare

ſperare propter animi infirmitatem, aut nimis ægre ferre propter meritorum magnitudinem videretur, repetitas repulſas conſtantia ſapientis tulit vicitque. Nec candidatum ſui obſequii pœnituit, nec judices ſui conſilii puduit. Occulta enim quadam fati lege, quod minus erat, negatum fuit, ut majus acciperetur.

Poſtquam L. Liedbeck, Mathematum Doctor celeberrimus, fato ceſſerat, illius profeſſionem, ad claritatem & amplitudinem aptum munus, more antiquo, initis ſuffragiis, & dato diplomate Regis, probatus obtinuit, & auſpicatus capeſſivit. Qualem autem Profeſſorem ſe geſſerit, ſi dixerim, hujus orationis exitum difficilius, quam principium invenerim: ex quo non tam copiam, quam modum in dicendo quærere debeo. Vos, P. C., teſtes eſtis, veſtra conſcientia, veſtra memoria, veſtra fides, quo obſequio, qua prudentia, qua modeſtia, quibus præceptis, quibus ſtudiis, quibus exemplis, non minus jucundus, quam uſui fuerit. Quæ tanta in hoc uno fuerunt, quanta in iis, quos maximos & optimos cognovimus, eſſe ſolent. Retulit ille, omnium conſenſu & judicio ſui muneris capax,

quic-

quicquid optavit, voluit, egit, ad utilitatem patriæ, dignitatem Academiæ, sui famam; & hac mente, hac opera favorem Principis, amicitiam patrum, reverentiam studiosæ juventutis, & gratiam totius orbis paravit, auxit, servavit.

Sed paullo altius repetendum videtur quæ domi cura, quæ foris veneratio fuit. Abdidit se totum litteris in alto secessu, nec somno, inter studia instante & deserente, retardatus, nec convictibus & ludis, voluptatis & otii irritamentis, abstractus: atque procul a licentia dierum & strepitu, in silentio & solitudine, magnæ cogitationis incitamentis, secum & cum libellis loquebatur, adnotabat, excerpebat, scribebat, pallebat. Sicut etiam in hoc dulci & vero secreto, recta & sincera vita, semper aliquid excudit, in quod nihil tempori, nihil invidiæ, nihil injuriæ licebit. Hoc negotium, hoc otium: hic labor, hæc quies: hæc feria, hi joci.

Nec minor in publico industria fuit. Venit libenter ad auditorium, & quæ rostra tempestive occupavit, nec intempestive reliquit. Neque enim, quod studiis subtractum fuerit, tempus reparabile.

parabile. Cui etiam ſic inſervivit, ut dicenda, non recentia, rudia, & extemporalis audaciæ, ſed meditata, præviſa, & in decorum muneris compoſita fuerint. Ut ſuæ item diſciplinæ hoc dedit, ut etſi illius maxima ipse ſciebat, tamen non niſi optima tacentibus & attentis propoſuerit, & quidem ſumma cum perſpicuitate, ne ſuæ ambitioni magis, quam communi utilitati ſtuduiſſe videretur. Nihil enim per oſtentationem, omnia ex publico bono egit; ſuique erga alios ſtudii mercedem non ex ſermone vulgi, ſed ex facto petiit. Qua autem ſingulari in agendo virtute & in prædicando verecundia famam non ſuppreſſit, ſed auxit. Eum enim non ſolum ſtudioſi & juvenes in ore ferebant, & advenis vultum agnoſcere cupientibus digito monſtrabant, verum etiam illuſtres & ſenes, Patres dicam Societatis tum Educatoriæ & Holmienſis tum Phyſiographicæ & Lundenſis, nomine in ſuos Penates intulerunt. Tali modo gloria ſequi, non appeti debet: & favor, ut ambitu male acquiritur, ita per bonas artes magnifice accipitur.

At non minus ſui muneris eſſe putavit, privatim, quam publice cupidis litterarum intereſſe.

Hanc

Hanc vero legem, non scriptam, sed natam, quam non didicit, sed a natura accepit, eo diligentius servabat, quo sanctiora esse humanitatis, quam necessitatis officia, non institutus, sed imbutus compertum habebat. Tantæque industriæ caussa erat, non quæstus studium, quod homini non locupleti licitum, sed amplissimæ scientiæ amor, quod libero & ingenuo animo dignum. Neque temere hoc dictum. Ita dicunt, qui viderunt, non audiverunt, qui interfuerunt, non acceperunt, ipsi inquam discipuli, matheseos amantissimi, qui illius viri consilio in negotiis & judicio in studiis diu & gratis usi sunt. Quicquid illi juvenes, quos caritate complectens aliis antepofuit, in hoc studiorum genere profecerant, satis grande suæ operæ pretium statuit. Quid? quod eos omnes, quibus cumque potuit officiis, jure hospitii, gratia stipendii, & credito optimi libri, sive suo pretio emti, sive suo ingenio compositi, prosequebatur. Adeo diu parcus fuit, ut tandem haberet, quo non tam stomachos, quam animos delectaret: res tanto laudabilior, quanto sapientia voluptatem præstat.

Quanta autem illius diligentia, quanta doctrina fuerit, ipsi libri, quos conscripsit, sanctissimi

sunt

ſunt teſtes & maximi laudatores. Qui numero plures ſunt, quam multi legerint, argumento ſublimiores, quam plerique intellexerint, & ſtilo elegantiores, quam alii crediderint. Nemo noſtrum eſt, qui neſciat, quanta in obſcuritate, & quam recondita in arte matheſis verſetur. In geometria lineamenta, formas, ſpatia, & magnitudines; in aſtronomia cœli converſionem, ortum, obitum motumque ſiderum; in phyſica omnes latebras naturæ & receſſus cognoſcere, meminiſſe, & explicare, res eſt, quæ ſupra ingenium ſtudiumque humanum poſita videtur. Tamen omnem tam multiplicis & difficilis ſcientiæ vim & materiam, non dicam, legendo complexus, ſed ſcribendo Noſter aſſecutus eſt. Suppetebat vero amor, qui difficillima patitur, & labor, qui omnia vincit: quo utroque omnium ætatum mathematica ingenia & opera comprehendit & fovit, nec veterum faſtidioſus, nec in nova avidus, ſed illa, hæc pari affectu concupiſcens.

Ex abditis vero fontibus Græcorum, quorum ingenia non minus ad mathematicæ dignitatem, quam ad eloquentiæ gratiam, præmiis & honori-

bus excitata fuerunt, potiſſimum ſibi hauriendum eſſe putavit. Illi enim homines, nec varii & inconſtantes in principiis, nec leves & ambigui in rationibus, talem inventioni delectûm, compoſitioni artem, & demonſtrationi lucem adhibuerunt, ut, cum multorum recentiorum curam oblivio obruet, eorum ſcripta in æternitate temporum manſura ſint. Tantæque gentis memoriam venerans, famamque complectens, ſublimiora illius & geometrica monumenta, libertatis & ingenii ſpecimina, diligenter & usque ad transſcribendi ſollicitudinem evolvit, teſte chirographi exemplo & miraculo, de Apollonii Pergæi & Sereni Antiſſenſis operibus una cum ſuis figuris intra quadraginta dies ad verbum elegantiſſime & accuratiſſime expreſſo. Nec conquievit, niſi perfecta eadem re de Pappo Alexandrino, cujus mathematica non modo deſcripſit, ſed etiam variis in locis explicavit: alia ejusmodi opera ut taceam, quorum raritatem non pretio, quod facilius, ſed ſtudio, quod utilius, ad uſum & gloriam acquiſivit. Laborioſum hoc excercitationis genus & tædio plenum, ipſa vero difficultate fructuoſum; eo enim vis memoriæ, lectaque diutius retinendi, & judicio ſimilia promtius inveniendi facultas paratur. Sed

Sed non satis habuit, sequi antiquos Scriptores, dum non desperavit, se etiam novos, suo judicio, sua æmulatione pariter dignos, assequi posse. Quamquam in omni scientiæ genere infinita discentium multitudo, summa magistrorum copia, & præstantissima hominum ingenia exstiterunt; tamen nescio, quo pacto plures in mathesi, maxima arte, ab imperitorum intelligentia sensuque disjuncta, quam in cæteris & mediocribus disciplinis, in vulgari hominum sermone & consuetudine positis excelluerint. Verisimile non est, decora mathematicorum ingenia spe uberiori, aut amplioribus præmiis ad gratiam, vel opes, vel dignitatem expositis, ad discendum commota fuisse. Ipsam scientiæ vim & magnitudinem animis ad sublimia sponte tendentibus artem & stimulos addidisse, vero id propius. Utcumque erit, certum est, multa ab his nostra etiam ætate subtiliter cogitata & laudabiliter edita fuisse. Quæ adeo omnia etiam Noster paravit, singulaque discernens, optima, sive ad cognitionem ampla, sive ad usum fructuosa, elegit, & in paratum volumen contulit. Sic priscis scriptoribus etsi recentiores propter verecundiam ætatis non antetulit, tamen eos propter mag-

nis

nitudinem utilitatis adæquavit, sedulo pensitans, quid illi melius, quid hi commodius scripserint. Si veteres multa & speciosa gravi judicio & subtiliter meditando, hi plura & utiliora compendioso calculo & quasi aliud agendo in medium attulerunt. Ergo uniusque ævi gloriam, antiquitatis acumen & posteritatis artificium, generatim comprehendit, pristinæ gravitati hodiernam facilitatem adjungens, ne geometria in negotii tædium, & algebra in otii instrumentum procederet.

His studiis, his subsidiis suam originem debent varia illius viri opera, pura, recta, venusta, diffusa, in quibus nec materiæ sublimitas, nec judicio vis, nec labori amor defuit. Nomina sunt Algebra, Methodus Fluxionum, Geometria Analytica, Geometria Sublimior, Statica, Mechanica, Hydrostatica, Aërometria, Hydravlica, Optica, Catoptrica, Dioptrica, Perspectiva, Astronomia Elementaris, Geographia & Hydrographia, Chronologia, & Gnomonica; tituli illius, quod in sinu latet, indices haud fallaces. Hæc autem opera quo minus intelligo, eo magis miror. At quantum ab æquis harum rerum æstimatoribus audivi, in

in his ea eſt electio optimorum, is ordo rerum, ea brevitas & ubertas, quoties cauſſa poſcit, verborum, ea planitas ſententiarum, ea elegantia litterarum, & ea ars figurarum, ut auctoris ingenium, quod potuit, animumque, quod voluit tot tantaque efficere, ſatis admirari, diligere poſteritas non poſſit. Quæ autem collegit ſtudioſe, invenit præclare, diſpoſuit apte, & figuravit varie, ea ſapienter reciſa & circumſcripta in modica & pauca volumina coarctavit. Ita lumen, quod majores ei diffuſe & circumducte prætulerunt, poſteris ipſe compendioſe & more ſæculi prætulit. Qualis autem cujusque libri contextus, talis etiam præfatio. Ut in illo magnitudo judici & reconditi ſenſus, ita in hac pudor & modeſtia compoſitionis, & eruditionis varietas atque urbanitas elucent.

Enim vero ſi qua alia, certe hæc opera, ſublimia, non tumida, excelſa, non abrupta, plena, non nimia, grandia, non enormia, quibus in plura exemplaria tranſcriptis gaudent diſcipuli, editione digna fuerunt. At eruditus Noſter, in litteris timorem magis homini, quam fiduciam convenire, ea publicare noluit. Eo itaque magis le-

gentur,

gentur, quia non ſtatim; quod enim differtur, vehementiorem ſui cupiditatem facit. Quanta autem futuri ſpe totum in occulto jacere, teſtatum faciunt particulæ, nempe Computus Eccleſiaſticus & Geometria Analytica, quæ jam pridem in utilitatem temporum, notitiam rerum, & voluptatem legentium in lucem prodierunt. Alienaque & honorifica de his judicia expertus Auctor, ſuæ poſteritati interfuit. Ut autem nec poſt fata ſibi laudem nobisque utilitatem invidiſſe videretur, duo ſuorum operum exemplaria, ipſius ſtilo ſcripta, nec vitiis ſcribarum ſuſpecta, ſanctiſſimis & publicis in locis, alterum in noſtræ, alterum in ſupra laudatæ Holmenſis Academiæ bibliotheca, depoſuit. Tantiquæ teſtamenti vim & memoriam nulla non ætas exprimet, prorogabit & tenebit.

Miramur jam hominem, multis variisque officiis impeditum & diſtentum, tot volumina, multaque in iis tam ſcrupuloſa, abſolvere potuiſſe. Sed acre erat judicium, & incredibile ſtudium. Neque aliud ingenium ad ardue ſuſcipiendum, induſtrie agendum, & celeriter conficiendum habilius fuit. Surrexit ſtatim a multa nocte, & in

prandii

prandii tempus ſtuduit. Poſt cibum ſi quid otii, id non quieti & molli ſtrato, ſed multæ lectioni, multæ ſcriptioni datum fuit. Nec post cœnam diurna & graviora negotia luſibus jocisque diſtinxit, ſed ſe ſtilo & cubiculo reddidit, & in hoc receſſu ad mediam usque noctem elucubravit, quod non ad alium atque alium dominum transibit, ſed quod perpetuo erit ſuum. Tanta erat temporis parſimonia: quod litteris non tributum, per obſcura & caduca tranſiiſſe putabat.

Gratiam vero operum, quæ plurimum rerum, exemplorum & antiquitatis habent, cumulat ſanctitas ſcribentis. In civitate diſcordi, mobili & ambitioſa, nec libertatem nec imperium patiente, eum vitæ curſum tenuit, qui negotioſis honeſtus, otioſis tutus eſt. Non tam curæ illi fuit, ut fructu amplitudinis & reipublicæ dignitate emineret, quam ut privatis officiis & ingenii laude floreret. Dum ambitus, vis & pecunia omnia agebant, ferebant, in ſuo muſæo liberaliſſimis artibus obſequebatur, ſine ira & ſtudio, quorum cauſſas fugiebat. Neque loco inermi, innoxio & felici, aut caſus temporum, aut certamina potentium, aut

fraus

fraus inimicorum, aut caussæ amicorum legendi scribendique suam curam in abruptum trahere potuerunt.

Tam silentes, quæ dulces suæ Musæ. Neque vox illius in Academiæ Senatu contenta fuit. Atque hoc temperamentum modestiæ, ne aliorum judiciis imperare videretur. Calliditatem præterea fori nesciebat, in fas & nefas non avidus & venalis. Sicut etiam in suffragiis adversus neminem aut votum aut animus erat. Unde neque hæc fuerunt comperta aut ob metum falsa, aut odio vel favore composita, aut verbis suspensa & in incertum implicata. Non aliud sibi suæ in cognitione rerum sententiæ pretium habuit, quam religiose judicasse, & aperte dixisse. Quemadmodum nec unquam ille cognitus novi juris repertor in antiqui fraudem fuit. Callidam enim & sinistram legis interpretationem ignorabat vel fugiebat. Si quando in judicio errorem, excusandum infirmitatis humanæ vitium, commiserit, nescio, annon id impulsui magis & obscuro molimini, quam suo ingenio tribuendum sit. Ipse apud collegas nunquam malis artibus ambitiosus fuit, aut variis illecebris potens, aut turbidis vocibus crimen moliens,

licas, aut occultis litteris dolum componens. Atque quo sanctius gratiam bonorum coluit, eo cautius amicitiam malorum fugit, quæ tam infida est, quam ipsi.

At non suis modo virtutibus, sed aliena etiam culpa in recte factorum laudem agebatur. Electus ad bona Academiæ recognoscenda hanc censuram, sine gratia aut offensionum metu, gessit, fide tantum integri calculi bonæque conscientiæ pretio ductus. Ipsique in ea aliquid silere ut nefas, sic proloqui expeditum erat. Vitia enim in accepti & expensi tabulis reperta, per privatas spes non dissimulavit, sed, re integra ad Senatum relata, auctor & suasor fuit, ut mitius in reum, melius autem rei Carolinæ in posterum consuleretur. Tanta erat nostri cura ærarii; cujus fortuna, auspiciis optimi Mæcenatis & virtute gravissimi Quæstoris, nunc melior indies lætiorque crescit. Neque minus laudanda est ea opera, quam securitati & robori privatæ illius pecuniæ, in qua professorii ad hanc Academiam ordinis viduæ spem & subsidium habent, supra fidem dedit. Quid in pio hoc instituto validum, quid ægrum esset, per repetitas

vices,

vices, quibus consilia valescunt, coram Patribus interrogavit, & quia futura in incerto sunt, Patrum quoque consilio & auctoritate, leges in facta bene & providenter constituit.

Hoc autem modestiæ testimonium erit, quod cum Consul Academiæ esset, tamen se esse nesciret. In ipso nihil tumidum, aut in auctoritate novi magistratus novum fuit. Neque enim minus se collegam, quam collegis præesse meminit, vero honore non in magnificentia tituli, sed in cura officii reposito. Obiitque, quæ ad hoc munus pertinebant, non minus modeste, quam, ne artium hæc res publica quid detrimenti caperet, prudenter providit. Obvius autem aditu, & suadendi facilitate, quam jubendi potestate potior, reverentiam & amorem Patrum, Studiosorum, retulit. Quæ etiam bona ut prudentia consiliorum meruit, ita & humanitate morum retinuit.

Pari modo nec quicquam eo in vita communi melius nostra ætas tulit. Quid illo sanctius, simplicius, rectius, verius, candidius, antiquius? Qualis ejus scientia, tale & ingenium fuit. Ut illa vera & ingenua, fingendi credendique nescia,

ita

ita hoc obvium & expositum, artificio simulationis non occultum & subdolum fuit. Neque enim minus animum, quam vultum præ se tulit probum, sine ulla virtutis & pietatis venditatione, callida & temporaria. Ignotaque ipsi arrogantia & invidia, præcipua eruditorum vitia, fuerunt. Nam magnificus ingenii operibus, animique virtutibus haud minor, surgentem aliorum famam in sui deminutionem non accepit: neque opus habuit. Ex contrario ut quisque vi cogitandi scribendique arte maxime excelluit, ita eum maxime coluit & laudavit, indignum hoc ratus, ut excelsa ingenia nullam mercedem nisi ex conscientia haberent. Hinc fuit, quod nec eorum, quos nobilitas, aut opes, aut splendor titulorum supra vulgus extulerat, impatiens fuit, insignis in aliquo homine doctrinæ æmulus imitator, non generosæ fortunæ anxius æstimator. Probraque adhæc in absentes per ridiculum aut severe jactata aversabatur, ipse nec natura nec arte in malignitatem compositus. Cautaque potius & bona verba cum ratione, quam prosperæ & malignæ facetiæ ex casu placuere.

Cætera ad hanc formam erant: liberalitas in pauperes, bonitas in suos, justitia in omnes.

Æquus

Æqnus in omni re contrahenda & facilis fuit, in solvendo promtus, in exigendo justus, & in dando munificus, sed fortunæ modum servans. Tamen ut non æs suum multiplicandis usuris crescere, ita nec alienum indulgendo inveterascere patiebatur, quamquam, & dum in æquo esse cœperat, indigentibus vel ipse dedit, vel de suo dari permisit. Testis est adfinis mulier HEDEVIG CHARLOTTA SILFVERSPARRE, adflicta & inops vidua; cujus familiam, duos filios, alterum gravi valetudine imbecillum, alterum militari ingenio memorabilem, non secus quam suum sanguinem fovit & sustulit.

Neque transeunda silentio, quæ mira in ore vultuque suavitas & hilaritas fuerit. Multum severitatis inerat, comitas tamen par; ita ut occursus reverentiam, non formidinem attulerit. Raræ autem voces; etsi non occultum & obscurum pectus; ut nec ex illius silentio aliquid periculi timendum fuit. Suum enim aliorumque otium sermone nec frequenti nec longo delectavit, in contuberniis plerumque tacitus, sive modestia, sive meditatione. Exsultabat autem & triumphabat oratio, cum in suam scientiam incidisset: quæ sonora

nora & gravis sibi audientiam, quæ aperta & candoris plena sibi fidem fecit.

Vitia demum (neque hæc reticenda) quantum parva, tantum excusata: quorum maximum, quod usque ad culpam industrius fuit. Commovebatur tarde, raro incalescebat, & inimicitias vel non suscepit, vel statim deposuit: ira non condita, nec odiis in longum jactis. Qui vero in foro non majorem, sed meliorem partem sequebatur, si sui propositi tenax fuerit, eum recti, non sui judicii pertinacem fuisse, existimabimus.

Felix vero ut claritate vitæ, ita & matrimonii raritate fuit. Uxorem duxit ELISABET MARTHAM SILFVERSPARRE, feminam splendide natam, probitati & castitati provisum quasi & paratum præmium. Quæ personæ dignitas? quæ exempli gratia? quæ ingenii vis? quæ judicii magnitudo? Adversas hæc res experta, secundis uti didicerat, in nullam sortem nata, & obsequii laude semper melior. Virtutesque ex diversis ætatibus, hilaritatem juventutis, gravitatem constantis ætatis, & prudentiam senectutis colligit & miscet. Nec satis scio, qui illius puellarem jucunditatem, virginalem

vere-

verecundiam, & matronalem ſeveritatem cognoverint, ſuſpexerint eam plus, an amaverint. Nulla autem ſtirps ex matrimonio, & ætas ſpem partus ademerat; tamen non minus arcta amoris & concordiæ vincula, ſuſpiciendo invicem, & invicem colendo. Idem utrique propoſitum, par obſequii æmulatio. Maritumque, in quantum patitur ſexus, imitata & ſecuta eſt conjux. Quantum ille litteris, tantum ipſa beneficiis præſtare ſtuduit; ut, ſi quis has virtutes ſibi invicem conferat, dubitare cogatur, utrum ad gratiam efficacius ſit, præclare inſtitui, aut bene promereri. Tamen non aliam ſibi vindicavit, niſi aliis gratificandi liberalem voluntatem. Ut & hanc ad homines & mores, non ad fortunam & potentiam retulit. Non enim florentibus ſe venditavit, ſed afflictis ſuccurrit *).

Atque

*) Exemplo illustri nobis erunt centum thaleri imperiales, quos in spem et robur Lundensis Nosocomii, saluberrimi instituti, nuper contulit. Quod vero munus item alio, pretiosis dicam astronomiæ tum libris tum instrumentis, quot liberalitatis erga Carolinum Observatorium speciminibus, totidem pietatis erga suum maritum, suasorem illius tecti et

Atque ne fons benignitatis exhauriretur, vivendi benefaciendique subsidia labore potius, quam pretio paravit, modica cultu, & parca comitatu, tamen incessu splendida & elegans, ita ut communis infimis, par principibus videatur. Marito autem inservire, præcipuam laudem duxit. Satiata nunquam illius ore vultuque, longæ valetudini constans assedit, libensque voces & mandata excipiens deficientem eum mœsta fovit. Ita & viri ab illa muliere exemplum fortitudinis capere possunt. Grande vero solatium, quod talem virum habuit; sed hoc magis luget & plangit, quod amisit; bono enim fruendo dolor carendi augetur.

Ad

---

auctorem, monumentis auxit. Magnificum, quod vidua non locuples ita publico prodesse voluit, magnificentius, quod non ante, sed post hæc nostra pietatis solennia id significavit, ne simul cum mariti laudibus etiam suas audiret. Quamquam vero hoc non fecit, ut prædicaremus, tamen prædicabimus, quia fecit. Et in hoc nos memores cognoscet, quod quanta in dato beneficio est laus, tanta in accepto manebit gratia: quam nec præsens modo ætas, sed et posteritas tuebitur.

Ad nomen denique felicis mariti accedit boni patrisfamilias laus: quæ res nec minus ad dignitatem, quam studium sapientiæ ad famæ perpetuitatem attulit. Nemo illo minus cupidus, minus emax, minus ædificator fuit. Hæc pecunia, hoc vectigal. Mutationemque fortunæ moderate ferens, nec longa egestate in cupiditatem voluptatis accensus, eleganter quidem, non autem sumtuose vixit. At vero, ne id, quod satis erat, deesse inciperet, sua nec sine modo & judicio, falsa liberalitatis specie, nec inerti luxu & prodigis epulis, periculoso temporis errore, consumsit. Hinc nulla alieni libido, fraudis caussa, & raptus necessitas. Tamen domus frequens fuit concursu amicorum discipulorumque, qui vesperascente cœlo intervenientes, satietate literarum fatigato opportuna interpellatione subvenerunt. Sermones tunc potissimum de artium studiis & doctrina habiti sunt, jucundum & nobile otium, omni negotio præstabilius: & apposita ad ultimum cœna expedita, nitida & frugi. Usus autem est domo, neque hoc prætereundum, lucida, perflatum æstivum & hibernum solem habente, ut Astronomum decebat. Quam qui intraverit, nullum luxuriæ signum, plurima abstinentiæ viderit.

Index

Index vero tam nobilis animi etiam figura corporis & species fuit. Quæ magnos quidem viros per ambitionem æstimantibus minus venusta, rectius autem interpretantibus claro viro satis digna videbatur. Nam vultu habituque erat moris antiqui, & statura excelsa, tamen justam non excedente, parique robore: ut & latus ab humeris & pectore, ceterisque membris æqualis & congruens: facies autem honesta & liberalis, sed ætate & studiis exsanguis & pallida: tamen multus vigor in ore, magna vis in oculis: ingenuaque totius corporis pulchritudo. Quæ etsi fortuita sunt, tamen rationis & consilii comitatu plurimum venerationis habent. Ceterum moderatus erat victu, vestitu honestus, motu gestuque nec odiosus nec ineptus, simplex, rectus & naturam sequens: in omnibus priscæ frugalitatis & dignitatis imago.

Proceritas ista & firmitas sui corporis: neque hæc sine prospera valetudine; qua etiam diu sine ullo adjumento consiliove medicorum usus est. Virtutisque & vitæ honeste actæ hoc præmium fuit. Quod autem loci & studii ratio detraxerat, usu id medicinæ facile restitui non

 potuit.

potuit. Egit vitam in urbe & sedendo, nusquam fere ruri; studendoque indesinenter bene sapere, quam semper cavendo bene valere maluit.

In tanto cursu & impetu rerum illæ vires naturæ, quæ adolescentiam longam & senectutem seram reddere potuissent, magis magisque se ipsæ confecerunt, donec eo perventum est, ut remedia pati non possent. Summis ex cogitandi curis & vigilandi laboribus caput demum vehementer dolere cœpit. Sed lenta remedia & segnes medicos non permittebant destinata opera: industrie mori, quam tarde convalescere melius videbatur. Remedium autem suo dolori dicam an impeditis studiis quærens, caput largo canali quotidie subjecit, multaque & frigida aqua aliquamdiu fovit. Strenua hæc medicina, ab experimentis deducta; frustra autem ab ipso tentata. Secuta est apoplexia, longa & insanabilis, quæ mortem tantum distulit, & vitam interim infestavit. Stupet animus, corpus per intervalla & duodecim annorum spatia stupet: subitoque horrore artus rigent & pallor suffunditur: exspiranti autem similis trahitur spiritus, voce faucibus hærente: tremuntque ner-

vi,

vi, os torquetur, & membra jactantur. Nec satis ille compos interdum mentis. Vir sapiens, triste spectaculum, vanas imagines accipit, & inter verba & voces desipit. Hinc circumstantibus ingens sollicitudo, & pæne luctus. Paullatim tamen redit ratio, interclusus spiritus meare liberius incipit, & vox recipitur, solatium in præsens, metus in futurum. Laxata enim tanta vis morbi ob hoc solum videbatur, ut repetito velut spatio resumeret impetum. Studia vero inter ejus initia, dum nec tam frequenter, nec tam graviter recurrebat, & animus judicio & memoria adhuc sibi constabat, suffugio fuerunt. Effecerunt hæc, ut magnitudinem mali magis quidem intelligeret, sed patientius ferret.

Præprimis autem ea via & ratio, quam L. Euler, summus vir, ad numeros primos compositorumque factores inveniendos patefecerat, illius animum in tam ardui operis amorem accendit. Sed nec temperamentum erat ardoris, nec modus laboris, cujus fructum spectabat, magnitudinem non metiebatur. Alieni enim consilii tantum memor, suique oblitus, quod multorum opus anno-

rum

rum erat, minus biennio perfecit; præstantissimis discipulis in privati hujus negotii consortium adsumtis; quorum & unus in ipsius locum & imitamentum magna cum laude successit. Ut autem usus hujus tabulæ, quæ operum mortalium suprema lucem & præfationem libro trium & octoginta foliorum præfert, latius pateret, eam in tria exempla transscribendam curavit. Munera hæc Academiis Scientiarum, Holmensi, Petropolitanæ & Parisiensi, destinata. Nec alii magis tanta cura placuit, quam Petropolitanæ Academiæ, quæ ultro dantem acceptissimo Euleri operum dono, pari suscepti laboris pretio, obligavit.

At vero animi corporisque vires, jam pridem nimii studii officio fractæ, hoc obsequii onere ita oppressæ sunt, ut amplius nihil Academiæ præter sui nominis celebritatem adferre posset. Quo minus autem roboris, eo plus cupiditatis. Quid enim voluptatis litteræ habeant, non tam facultate eas colendi, quam necessitate eis vale dicendi intellexit. Præsentia mala cum præteritis bonis conferens, interpretandoque accendens, animum huc & illuc spe & metu versabat, domumque lamentis im-

implebat. Quamquam ſubinde verba reperiendi eloquendique facultate caruit. Affecta enim memoria, lingva erat. Quamobrem inter optimam conſcientiam & graviſſimum morbum deſtitutus, neſciebat, quomodo animo ſuo & tempori pareret. Habebat plurimas vivendi cauſſas, ſummam innocentiam, magnam famam, amantiſſimam uxorem, & fideliſſimos amicos; ſed tam adverſa valetudine, quam pertinacem patientia tamen lenivit, & cum ſenectute ingraveſcentem religione ſuſtinuit, premebatur, ut his vivendi pretiis mortem præoptaret. Neque convaleſcendi tanto ex morbo ſpem ullam medicus, natura & arte memorabilis, nec minus pro aliena ſalute, quam ſua fide ſollicitus, fecit. Nihil hic inexpertum omiſit: torpenti fomenta admovit, & linquentem animum vini odore excitavit. Sed diffidens ille dubiis, gaudensque parum proſperis. Tam fallax credenti hæc valetudo fuit. Inſidebat febris, increſcebat: ſumma macies, ſumma defectio. Votoque illius, quem non vitium, ſed ſua virtus adflixerat, adfuit Deus. Hoc anno in finem, dieque XXVIII Septembris in occaſum præcipite, (fracta pronuntiatione dicitur) obiit, placidus ore, animo beatus.

Quod

Quod gaudium quo luctu mutatum? Nostra hæc jactura, nostrum vulnus. Illæque lacrimæ, doloris levamenta, non imitamenta, laude, ne dicam venia, dignæ sunt. Acerbum funus maturatum: tardum ejus iter: augustus in templum introitus: paratum sepulcrum, modicum & mansurum; triste oculis spectaculum, magnum rostris ornamentum. Famam vero nominis victuri supremis titulis prorogare, supervacua monumenti hæc impensa. Tale officium a posteris sibi vindicent, qui nihil memoratu dignum egerunt, ut eorum memoria uno saltim loco ab oblivione vindiretur. Tam angustus vero honos non convenit illi, cujus nomen non certam habebit sedem, sed longe atque late vagabitur. Breveque cum ævi mortalis spatium sit, ea reliquit, quæ in memoriam orbis sparsa & disseminata, eum vixisse testabuntur. Post se post suam vitam, in titulis suorum operum, & judiciis hominum nominatim vivet. Quæ vera nostri effigies. Neque ea a propinquis petita & muta, sed suo ingenio spirituque posita & viva: quam adire, intueri, æmulari, licebit posteritati.

Quam-

Quamquam vero res manebit, tamen persona erepta est: qui casus multas & graves desiderii caussas nobis reliquit. Illa vespera, qua funus elatum est, recens erat animi dolor, omnemque consolationem rejiciebat, nunc autem ultro requirit, eaque molli & humana acquiescet. Quod enim erat beneficium temporis, nec ratione anteverti potuit, id tandem diuturnitas attulit. Morbo & natura Noster exstinctus est: inexorabilis lex necessitatis & parata consolationis materia. Vixit octo & sexaginta annos, quae aetas robustis satis longa est, ita ut, nisi sapienti longior optanda fuisset, ne immatura quidem mors videri possit. Alii diutius munus obierunt, nemo laudabilius reliquit. Virtus fuit penes ipsum, conscientia omnibus manet. Satisque sibi nominis, satis conjugi fortunae quaesivit: & apud posteros, qui mortuos oblivione vel gloria distinguent, tantumdem meruit bonae famae, quantum magnae. Felix ille, qui non modo legenda scripsit, sed etiam scribenda fecit: felicior, qui & ea, quae premunt, & ea, quae impendent, opportunitate mortis transiit: felicissimus, qui coelum & sidera, suae vitae studia & oblectamenta, occupavit. Ut autem scripta, cum in lu-

cem prodierint, in fama rerum non deerunt, ita ipse, postquam ab oculis recessit, in ore hominum latius versabitur. Sicut etiam, justis & corpori & animo defuncti solutis, lugubres vestes cito, desiderium vero tarde ponetur. Pietas erit conjugis, nimis meminisse, & noster honos, numquam oblivisci, NICOLAUM SCHENMARK in litteris vixisse, & pro litetris mortuum esse.

III. Memoria
JACOBI W. FAXE
Theol. Prof. Præp. Terr. Rönneb.; Past. Eccl. Quistofta & Glömslöf.

Interesse sapienti viro, si tanti est, ipsi superesse, quanti fuerit. Vetus est fama, Gaditanum, qui ad visendum T. Livium venerat, statim, ut viderat, rediisse. Ita, quem caput orbis terrarum & Roma commovere non potuerat, eum unius nomen hominis ad se pertraxit. Brevis vero talis fruen-

di

di voluptas. Neque absentis vicem ejus simulacrum expleverit. Adumbratum hoc, suique oris utcumque simile & significans, tamen in illius modum fragile & caducum. Immortalis vero ut Deus, quem refert, animi forma est. Neque ea muta & inanis. Quippe quæ reddita dictorum factorumque imago est: quam nostris etiam æmulari & tenere licebit. Habetque hæc rationem cum sole septentrionali, ut ejus fulgor item post obitum adspiciatur. Sed aut fallor, aut non alia sui ordinis sanctior & illustrior fuit eâ, qua Jacob W. Faxe, S. S. Theol. Professor, Præpositus territorii Rönneberg:, & Pastor ecclesiarum Quistofta & Glömslöf, nobis innotuit. Memoriæque ejus consulere, ad exemplum pertinebit. Sed manibus, ubi ossa tumulo illata fuerunt, parentasse a), aut eis monimentum

a) Äreminne öfver S. S. Theologiæ Professoren, Prosten öfver Rönnebergs Härad, samt Kyrkoherden vid Quistofta och Glömslöfs Församlingar Magister Jacob W. Faxe, uppläst vid dess begrafning uti Quistofta Kyrka d. 19 Maj 1790 af Matth. Norberg.

mentum ibi condere, id non satis. Restrictus uterque hic honos. Namque alter unius tantum loci, paucisque versiculis signatus foret, sicut alter parœcis modo destinatus fuit. Voce pleniori, & quæ tam longe lateque quam lingva Romana pateat, opus. Commendataque literis, quæ caussa posteritatis inventæ fuerunt, narrata quoque posteris & tradita hæc futura.

Jam primum omnium origo nobis noscenda erit. Pauperis est, quæ ipse non habes, ab aliis petere: majorumque titulos, imagines, cetera, quæ fortuita sunt, recensere, numerus hic, non honos. Neque enim, quæ dictionis, eadem stirpis est ratio. Translate cum una illucescit, tum altera obsolescit. Proprius vero, qui Nostro contigit, natalium splendor. Tantoque hic illustrior, quod fuit & ingenii, quo homo homini antecellit, & virtutis, quæ ab ipso Deo æstimatur. Quamobrem gentili huic decori, huic bono, id etiam in pretium cessit, ut Atavus, Avus, Pater, continua serie ut virtute, Paroeciis Skäbersjö & Törringe jure quisque Pastoris præfuerint b). Parum

b) Georgius Faxe, filius Joannis Severini prædii Näsbyholmensis Prætoris, natus 1614. Civ-

Parum vero abfuit, quin infans tam altæ indolis exstingveretur. Tam imbecillis natura & valetudine recens natus erat c). Periissetque etiam aut flammans in cunis, aut ephebus nondum factus pelago submersus, nisi ejus saluti provisu periculi divinitus cautum fuisset. Neque enim cæcæ fatorum potestati tribuendum est, quod, velocitate incendii nihil non remedii antegressa, flagran-

---

Acad. Hafn. 1639. Baccal. 1640. Pastor Eccles. Skabersjö & Törringe 1642. Præpos. Territ. Bara 1661. Denat. 1681.

Jacobus Faxe, nat. 1659. Civ. Acad. Lund. 1676. Pastor Eccles. Skabersjö & Törringe 1682. Den. 1725.

Wilhelmus Faxe nat. 1696. Civ. Acad. Lund. 1715. Sacris init. 1722. Phil. Mag. 1723. Pastor Eccles. Skabersjö & Törringe 1725. Den. 1743. Nomen matrimonii concupivit 1729: ducta uxore Anna Christina Moller, filia Professoris Jur. Nat. & Mor. Arvidi Moller & Christinæ Margar. Lagercreutz, ex qua hic filius d. 2 Sept. 1730 susceptus fuit.

c) Igitur, vesperascente ipsius diei natalis cœlo, ille sacris Baptismi initiatus est.

granteque filioli involucro, ope nutricis suæ servatus est d). Quemadmodum, quod, subversa cymbâ, fluctuque superurgente, in vado destitutus est, neque hoc sine præsenti Numine factum fuisse, existimandum erit e).

Hi casus primæ ætatis: qui ceteræ, ii etiam ancipites: omnesque secundis, adversis juxta memorabiles. Pater mature decesserat. Qui vero in sui matrimonii sicut officii locum successit f), privignum haud aliter, quam ut sui sangvinis fovit.

---

d) Semestris erat, cum ignis d. 7 April 1731 domum parentis corriperet. Eademque flamma, quæ hanc hauserat, illum quoque, humi in horto projectum, consumsisset, nisi tanto vitæ periculo, modoque supra dicto, subductus fuisset.

e) Cœlum mareque in æstum cesserant. Disjectusque hic versus oram prominentem, cui Saltholmen est nomen, ibique naufragus cum sociis vasto gurgite obrutus fuisset, nisi periclitantium clamore excitati insulares auxilio venissent.

f) PETRUS WÅHLIN successor officii 1743, matrimonii 1744. Natus 1707, Den. 1768.

vit. Parens hic mentis fiebat. Quanta enim illius liberaliter formandæ custodiendæque cura suscepta est? Diu multumque disputatum est, utrum pueri intra privatos parietes, an in publico instituendi sint. Nam melius illîc moribus, hîc studiis consuli visum est. Egregium vero temperamentum, si, sublatis utrimque vitiis, solæ virtutes mixtæ fuerint. Quod etiam respectu Nostri servatum est. Sedes & magistra studiorum ipsi domus Avi g) petita & data fuit: locus Scholæ disciplina, ingenuitate Gymnasii, Academiæque libertate compositus. Neque enim verendum erat, ne, auspice tanto doctore, mediaque in luce, animus inter male moratos servos aut parum modestos condiscipulos, sibi ignavus aliisque gravis adolesceret. Studium vero philosophiæ præsertim in amore fuit h). Nam subtile ingenium erat. Quo accessit,

g) Hic supra nominatus Prof. A. Moller; qui a. 1741 Acad. Carol. Rector nepotem civitate etiam Academica d. 19 Febr. donavit.

h) Philosophiam Rydelianam in deliciis præsertim habuit. Audivit vero inprimis Alin, Phil. Adj., qui elementa Phil. Theor. & Joh. Nelander, magnum illum moralitatis Docto-

cessit, quod & eum, cui ipsum fore simillimum natura voluerat, potissimum sibi sequendum putavit. Neque, quod tamen juventuti proprium, inconsiderate festinatum est. Spatium (nihil enim magnum cito nascitur) rudimentis ingenii datum fuit, scilicet uni pro exercitio i) septenne, alteri pro gradu k) trienne: tantumdem, quo pleraque sidera vim suam & cursum conficiunt l), & quo Deus gaudet m). Neque gloria alieni ingenii in eam, quæ sui, versa. Utrumque illud specimen marte proprio elaboratum. Effeta esse natura nondum cœperat.

Tam

rem & Professorem, qui præcepta phil. Pract. voce præivit.

i) Dissert. de AEquilibrio amoris proprii & alieni, præs. Joh. Nelander, Jur. Nat. & Mor. Prof., d. 22 Oct. 1748.

k) Dissert. grad. de communione primæva per casum necessitatis reviviscente, eodem Præside, d. 15 Maj 1757.

l) C. Tac. Hist. 2 V. 4.

m) Virg. Eccl. VIII. 73 sq.

Tam diu maturuit laurus, quæ honos capitis, magisteriique insigne fieret n). Suaque fruges ut non præcox, sic nitida, dulcis, & læta fuit. Prima autem, qua fusa, erat panegyricus: qui, ADOLPHO FRIDERICO & LUDOVICA ULRICA imperii Svecani sollemnia capessentibus, Latine dictus est. Disciplinæ haud minus dicendi, quam intelligendi, more majorum illaboratum fuerat o). Qui enim sapientes, iidem diserti olim fuere. Atque pro argumento hoc erat. Veritas nuda est: neque per se rationem nisi remisse ea appellat. Quæ autem vestita & ornata item affectus in suas partes trahit. Quocirca etiam natura speciem & pulchritudinem soliditati rerum adjecit. Imitari vero hanc, quæ sua copia, varietate, & elegantia Deum imitatur, philosopho quoque convenit; ita ut armis, non modo fortibus, sed & splendidis pugnet. Docebitque efficacius, qui magis delectaverit.

Quæ autem sui documenta jam Noster ediderat, ea non minus ominis quam laudis habuerunt

n) Philosophiæ Magister d. 4 Jul, 1751, Promotore Sv. Bring.

o) d. 6 Dec. e. a.

runt p). Mediocritatem hæc supergressa: nomenque in Lycei Carolini, cui nihil nisi quod singulare sit inserendum, adscitus scriptor fuit q): fama vere quam fortuna prosperiori. Capax quantæcumque scientiæ mens erat r). Vicemque non modo suam, sed & sæpe alienam præclare gessit s). Neque hoc satis. Adiit quoque Academiam Upsaliensem, per indigenas, advenas inclitam, quo ejus item præceptis & exemplis Lundinensem locupletaret t). Tanti autem studii sumtusque hoc præ-

---

p) Edidit ipse Præses Dissert. de prudentia circa leges Oeconomicas, Resp. A. St. Morian, 1752. d. 16 Dec.

q) Docens in Facultate Phil. d. 1 April 1753.

r) Publicavit iterum Dissert., cui titulus Examen canonis: minus malum est bonum respectu majoris, Resp. D. Nylander, 1758.

s) Præfuit publicis in Historia prælectionibus 1757, dum Sv. Lagerbring, Reg. Cancellar. Consil. & Hist. Prof. vacatione muneris utebatur.

t) Interfuit prælectionibus Arch. Caroli von Linnée & Prof. lingv. Gr. Joh. Amnell pu-

præmium tulit, ut alterum dignitatis Academicæ gradum, antequam hunc assequi in potestate fuerit, quinquies ambire oporteret u); quamquam commendatrice non modo sua virtute, sed & consentiente Patrum voce; quæ tamen utraque ignotas ob rationes apud Mæcenatem Academiæ x) nihil valuit. Sed solatio fuit studiosa juventus, quæ ei docenti frequens aderat, subsidioque nobilis illa proles, cujus spei admotus fuerat y). At

---

blice.; privatim vero institutione Adjuncti deinde Orient. Professoris HÁGEMAN in studio lingvæ Arabicæ usus est.

u) Tanden 1762 d. 4 Oct. ab Illustr. Cancell. Reg. Acad. Carol. Cels. Com. GUST. AD LÖVENHJELM S. S. Theol. Adjunctus constituitur.

x) Hic. Cels. Com. Nic. PALMSTIERNA Reg. Regnique Senat. Equ. & Com. Reg. ord.

y) Fuit hæc 1) duo filii Episcopi N. Lagerlöf, quorum major natu ERLAND VON LAGERLÖF, Secret. Reg., natuque minor OLOF VON LAGERLÖF, Actuar. Reg. Colleg. Metall. 2) duo Filii Lib. Bar. Strömfelt, quorum unus Cels. Com. G. Fr. STRÖMFELT, Vigil. Class. Præfectus, Provinciæ Ostrogoth. Gubernator, Regiique Ord. Ensiferi Commend.

vero hæc adverſa tam æquo animo, quam imbres, turbines, alia naturæ mala, toleravit. Nam pars illius ſeculi erant; quæ libertas vocata eſt; quamquam magis ſine domino, quam ſine dominatione vivebatur. Diviſa erat civitas: potentia, ambitus, gratia cuncta agebant, ferebant: bonisque artibus non idem quod malis robur fuit z). Nam turbas in civiles peſſimo cuique plurima vis eſt. Siniſtraque erga eminentem interpretatio eo promtius

---

cum magna cruce, alter Cels. Com. CAR. STRÖMFELT, Reg. Ser. Aulæ Mareschall. Supremus Vigil. Præfectus, Eques & Commend. Reg. Ord. 3) duo filii Centurionis A. DE GEER in Kåreholm. 4) duo filii Lib. Bar. ADLERMARK. 5) Cels. Com. TAGE THOTT, Unus e regni proceribus, Regiique Ordin. Vasa Commend. cum magna cruce, ut et Eques Regii Ord., qui a Rege Carolo XIII nomen habet, atque Reg. Ord. Ensiferi. Quæ omnis spem illam, quam sui fecerat, non modo implevit, sed & multum adjecit.

z) Quid de illo tempore, quid in ejus orbe validum, quid ægrum esset, Noster senserit, testimonio sunt hæc, in illustri monumento anni 1778 posita;

tius fidem meruit, quo proniores obtrectationi quam laudi aures sunt humanæ.

Nescio autem hæc differens, quo fato consilia factaque mortalium volvantur. Neque enim rebus hoc congruens: læto, quod ignaviæ, tristi, quod industriæ, sæpius comperto. Tamen in invidiam hoc non trahendum. Honores, divitiæ, reliqua, quæ extra animum sunt, neque bonis neque ma-

lis

Plangite.
Si. Qui. Estis. O! Aviti. Sangvinis. Ignavi. Nepotes.
Inutili. Munere. Ab. Irato. Cœlo. Terris. Donati.
Acta. Est. Fabula. Vestra.
Si. Anxii. Magis. De. Præmiis. Publicis.
Quam. De. Salute. Publica.
Nihil. In. Hanc. Confertis.
Nisi. Aliena. Decora. Emtas. Curules.
Ficta. Supercilia.
Vos. Vero. O! Incluti. Cives.
Patriæ. Non. Scenæ. Nati.
Plaudite.
Patet. Ultro. Fortunæ. Campus.
Calcandus. Jam.
Non. Felici. Inertiæ. Sed. Solido. Labori.
Non. Ingeniosæ. Petulantiæ. Sed. Meritorum. Sacris.
Non. Fumosis. Imaginibus. Sed. Nudæ. Virtuti.

lis annumeranda. Usu hæc solo æstimantur. Animum vero acrioribus stimulis res secundæ quam adversæ sollicitant. Nam hians in magna fortuna cupiditas: sed parvæ satietas est. Exemploque, qua suam & gravem Noster tulit, constantia erit. Parendum necessitati fuit: majorique, non meliori, cedendum. Quod etiam, nec invite, factum est. Memoria præteriti futuri magistra. Conflictatus Hic frustra & diu æmulis fuerat; metusque, ne medium Pindi assecutus, ad ejus cacumen pervenire si contenderet, oblique his agentibus, ad casum præceps daretur. Ceterum pro ratione retro eundi hoc etiam stetit. Magna vitæ Professoriæ claritas est: quippe quæ tota animi: neque alia divinitati propior. Umbrifera vero, quæ ejus est comes, invidia. Novit, qui nomine est minor, in umbra, quam majori fecerit, se huic non imparem visum iri. Eminet enim, quæ res in nubilo apparet. Livor autem, qui eruditorum est, ille maximus. Nascitur hic ex conjunctione, nutritur æqualitate, & in simultatem accrescit. Quantaque ingenii ambitio, tanta sui judicii pertinacia: atque par certamen: quod vero ambigam, sæpiusne pro veritate, quam pro victoria initum fuerit.

Sinus,

Sinus, qui jam famæ fortunæque quæsitus est, fuit Quistofta una cum Glömslöf parœcia a): quo longior hæc ab urbe, strepitu diurno nocturnoque discursu, eo rationi otii per intervalla negotii opportunior. Neque amplior ad dignitatem honos, quam obire templa, oracula sciscitari, responsaque eorum referre. Quemadmodum nec alius, quam jure divino civitatem obstringere, ad utilitatem fructuosior est. Fides sic & jusjurandum, quam metus & pœna, plus valebunt. Neque in sua gente hæc sola conscientia. Etiam hosti verecundia sui non defuit. Nefas erat Fidenatibus & Vejentibus, violare Romanos, in cœlum & Deum versos; sicut Fabium, sollemne suæ gentis in colle Quirinali obeuntem, non turbare, Gallis fas fuit. Ubi autem, aris soli Humanitati consecratis,

---

a) Initiatus sacris d. 20 Sept. 1762. Holmiæ ab Episcopo Joh. Engeström, ante captis a Ven. Cons. Eccl. Lund. sui experimentis, nullis autem & concionatoris a Ruricolis parœciæ Quistofta & Glömslöf petitis, sed eorum supplicibus tantum verbis, jubenteque Rege, in locum defuncti Pastoris L. A. Hjorth ibidem suffectus est.

eratis, ipſi ut Deæ litatum eſt, ibi non ex diverſis caſtris, ſed ab iis, quos ſub eodem cœlo natos eodemque in ſolo educatos idem dies ſimul operantes vidit, eademque nox una quietos habuit, mutuis ſævitum cædibus fuiſſe, recens memoria eſt. Quin ipſum Numen, ſublatis ejus ſimulacris, quaſi in prædam actum. Neque natio (ſat ſapienti), quæ, tanto piaculo ſibi contracto, iræ divinæ dedita fuit, ante hoc ſoluta eſt, quam ejus etiam princeps, qui pari in genus humanum crimine totius orbis imperium animo complexus, ſoli in India orienti, & in Britannia occidenti occurrere ſtatuerat, ad ultimas ejus oras, unde nec ſua fama accedere poſſet, devectus fuit.

Qualis vero ſacerdos Noſter fuerit, teſtes ſunt, qui eum ſive ſcribentem viderint b), ſive dicen-

---

b) Exempli loco **Brefväxling emellan Tvenne Vänner Euphanor och Theokles, rörande Läran om Jesu Christi Guds Sons blodiga död till försoning för verldenes synder.** Holmiæ 1786. 8:o. — **Tal, då Landscrona Nya Stads Kyrka, Sophia Albertina kallad, andra Söndagen i Advent.et**

dicentem audierint c). Multa sui monumenta reliquit. Quorum & quædam edita: plura vero (tanta editoris modestia fuit) editioni parata d): omniaque

---

d. 7 Dec. 1783 högtideligen invigdes Lund 1789 8:o.

c) Versabatur in ore famaque dicendi sua facultas. Ideoque, ut, vacante Pastoris munere in ecclesia Landscronensi a. 1769, plurimis suffragiis, Regi commendatus, ita, vacanteque provincia Superint. Carlscronensi, a. 1784, nec suffragiis paucis, qui specimen conciónandi pro more ibi ederet, vocatus est.

d) 1:o Diss. Philos. de successione regni dubia.
2:o Diss. Philos. de Jure Principis in obsides.
3:o Diss. Theologica: de tranqvillitate animi Spirituali, a Ven. Facult. Theol. approbata.
4:o Dissqv. Philol. de Anathemate Paulino Rom. 9: 3.
5:o Inledning till Gamla Testamentets Heliga Böcker.
6:o Undersökning om Lekamlig Besättning efter Philosophiska och

que communi utilitati, non privatæ jactantiæ, composita. Prima vero pars, judicabat, sui officii erat,

---

Philologiska anledningar. Opus, cui elaborando XVII annos impendit.

7:o Svar på Frågan: Har Christus så fullgjort för Syndernas lekamliga straff, att en omvänd syndare efter sin omvändelse derföre intet lekamligen straffas.

8:o Afhandling om rätta förståndet af Tio Guds bud.

9:o Anmärkningar öfver Theol. och Phil. Professorens G. S. Steinbarts bok kallad: System der reinen Philosophie oder Glückseligkeits Lehre des Christenthum.

10:o Lärobok i Christendomens Grundsanningar och Lefnadspligter.

11:o Anmärkningar öfver sättet, att afhandla Moral-Theologien.

12:o En olycklig Man i den lyckligaste belägenhet, eller Röfvaren på korset.

13:o Undersökning om den är lyckligare, som har öfverflöd på ömma känslor, eller den som har inga

erat, ſic temperare calamum, ut Chriſtianismus neceſſario agnoſceretur. Nam male in fide ſine perſuaſione religio colitur. Unde libellum de illius veritate quantocius conficere, animus & conſilium fuit e). Neque alius captui magis vulgi accommodatus. Divinitatique rei ſuæ ea non modo brevitate, ſed & luce ſatisfactum eſt, ut tam clare hæc in animos, quam dies in oculos, acie quamvis

---

14:o Beskrifning på Ärans Tempel. Poeme, teckning af Konungarne utaf Wasa Stammen.

15:o Reglor rörande författandet af uppbyggeliga prediknigar. Öfversättning. Sammandrag af Mosheims Anveisüng erbaulich zü predigen.

16:o Antiqvitates Hebraicæ. Sammandrag af Michaëlis prælect.

17:o Ernesti Opuscula Theologica: öfversatte i sammandrag.

Hæc autographa Bibliothecæ Reg. Acad. Lundensi a Filio olim tradenda.

e) Kort väg till öfvertygelse om Christna Religionens sanning. Lund 1787 8:o.

vis non intenta, incurrat. Orationem vero ita moderari, quo etiam Christianismus ultro amaretur, altera sui muneris pars erat. Quam & ita egit, ut idem sua non minus specie ad cultum, quam vi ad judicium valeret. Namque proprius ejus nitor: qui instar sui luminis colorat, non coloratur. Fucatus vicissim & meretricius, qui colorem mentitur, actorem, non pontificem, decet. Quo pertinuit, quod nec unquam nisi meditatus in concionem Noster adscendit. Caussa enim divina ubi peroranda erit, tam irreverens audacia extemporalis, lingvæ temeritas, omnisque ornatus & ordinis neglıgentia, quam diserte illa saltans licentia theatralis, lascivia verborum, levitas sententiarum, compositionisque mollities, ipsi visa est.

Tamen ardor ille religiosus, quantuscumque fuit, non acrius, quam consideratius, Nosttum excitavit. Modicus sacri & scrutinii & cultus erat. Connivendum est, cogitabat, ad fulgorem ut solis sic Numinis; pietatisque ut cœli intemperies sui infecunda. Quo etiam rediit, quod nec minus alienæ diversæque de arcano cœlesti persvasionis Hic patiens fuit. Sed non ad culpam. Fœda super-

perstitio Germaniam invaserat. Neque enim defuerunt, qui immemores, de Deo consultius credi quam quæri, adversum eum intuendo cæcutirent. Atque jam pavor, ne alibi eandem temeritatem eadem fortuna deprehenderet. Tamen, cum etiam fas patriæ, sollemne sui sacramenti, & conscientia populi Svecani in discrimine esset, solus hic fuit, qui fidem & animum ostentaret. Sed opus f), quod,

---

f) Pröfning, så väl af H:r Tellers, Steinbarts och Eberhards, som fleres Tvifvelsmål och inkast emot Läran om Jesu Christi, Guds Sons blodiga död till Försoning för verldenes Synder 8:o edit. 1792 Gothob. a Filio cum Ejus præfatione. De hoc libro, enumeratis Nostri operibus, b. m. Episc. O. Wallquist ita:

Af allt detta synes, att Professor Faxe varet en flitig Författare, och på landet flitigare än många med större förbindelse dertill, äro vid Lärohusen. Angående N:o 11 af dess tryckta arbeten, som utkommit efter Auctors död, hafva Prestesåndets till dess genomseende utvalde Committerade, 2:ne inom Svenska Församlingen fullt godkände Theologer intygat, att det är grundligt och tyd-

quod casui tam fatali item domi opposuerat, edere, ad hoc vita non suppetivit. Fatum ut famam Auctor provocaverat. At

---

ligt till den vigtiga Lärans om Jesu Försoning för våra synder, både försvar och upplysning. Boken visar ock stadgade grunder i Philosophien till redighet i begrepp och föreställning, samt en vacker Philologisk kunskap i förklaring af sakerna, och försvar af vår bekännelse. Hon har dessutom den förtjensten, att af sitt slag vara den enda på modersmålet för närvarande tid. I företalet, som utgör 56 sidor, förekommer en upplösning af någre Spörsmål, hvarmed Herr Professorn för ett sitt förriga arbete blifvit hemsökt af en annan Författare. Det hade varit önskeligt, om detta stycke kunnat umbäras, bredevid den förteckning Herr Professoren uppgifver på dem, bland Tyskarne, som senast gjort sig mäst märkvärdige för sin tillgifvenhet till socinianismen. Denna förteckning beviser icke allenast, hvilkas arbeten i synnerhet fallet Författaren i händerna, utan torde äfven bibringa nyheter åt mången, som länge klandrat, hvad Han alldrig sett. Stridskrifter i Religions frågor äro alltid olycklige, men ännu olyckligare är det, om man under

At religioni humanæ non minus diligenter, quam divinæ, consultum. Æmula pietatis est virtus. Radiansque ejus imago. Quæ autem speciosa tantum; ubi solis philosophiæ præceptis, & definitionum, partitionum formulis, mortuis & jejunis, ea indulserit. Fulget hæc frigida & sterilis, tanquam quæ lunaris, non percellit. Commendata vicissim artificio fabulæ, jucunditate colloquii, carminisque svavitate, vim quoque plurimam ea habet. Penetrat tum, velut quæ solaris, in intimos sensus, animosque nutrit & fovet. Tantumque interest, quod cum audiens legensve doctrinâ unius

langvet

---

uppväxande irrlärighet, icke frågar efter, hvad orätt läres. Det falska vederlägges icke blott med nit. Teller, Steinbart, Eberhardt, Bardt, Semler, Basedow, Döderlein m. fl. äro icke okunnige. Det fordras, att vara Philosoph, Philolog, och Historicus, för att läsa, granska döma och fälla dem. Herr Professor Faxe har på fältet visat sig med den styrka, som ingen lärer tillerkänna sig lika stor eller större, förr än Han inför Publicum utgifvit i samma ämne ett Arbete, som är grundligare, fullare och bättre. Wallquists Eccles. Saml. sjunde Fl. pag. 479. 480.

langvet & torpet, tum alterius concentu callet & fervet. Quem vero inscium, invitum, in omnem vitæ communis, civilis, honestatem veritate hac imitationis perducere, Noster quoque novit g).

Miraris vero, quod, qui tot ingenii avocamentis huc, illuc distractus fuit, tot ejus operibus suffecerit. Quot enim negotiis, etiam illiteratis, quicumque Pastor ecclesiæ detineatur, dum hic in consilium, ille ad perscribendam tabellam, alius pro aliis rogat, res nota est. Quæ autem Nostri fuerunt, etiam iis, quæ sunt Præpositi (verus in Hoc ille honos) aucta h). Quibusque item cumulus

g) Det ädlaste Hjerta i Qvinno-Bröst; Moralisk och Historisk teckning. Lund 1785 8:o. Brefväxling imellan tvänne vänner Euphranor och Theokles rörande någre vigtiga ämnen i Philosophien och Moralen. Stockholm 1785 8:o. Huc etiam pertinent opuscula inedita sub N:o 12 13 14 & varia poëmata, & latino idiomate & svecano confecta.

h) Eccles. Quistofta & Glömslöf Præpositus d. 14 Mart. 1767 ab Episc. Joh. Engeström, sed Territorii Rönnebergensis Præpositus d. 12 Aug. 1784 ab Episc. Ol. Celsio nominatus.

mulus hic accessit. Amplificanda erant parœciæ suæ templa i), ut parœcis hæc etiam satis, velut quod cœli omnibus, paterent. Quemadmodum, ne sub dio viveretur, materiave benefaciendi deesset, non modo ædes prædii sacerdotalis, quibus ruina impendebat, reficiendæ, sed etiam magna ejus pars, quæ neglecta jacebat k), colenda fuit. At vero primum acre ingenium erat. Et quæ inveniendi, eadem componendi facilitas. Procemi-

i) Ædes sacra Quistoftensis in latitudinem & Glomslöfvensis in longitudinem porrecta, novisque ornamentis utraque sic decorata, quasi novæ una & altera viderentur.

k) Fundus villæ Pastoralis, vacante suo munere, per incuriam aut studium Geometræ, deminutus fuerat. Tamen, quod relictum erat spatii, tollendis saxis paludibusque siccandis, colere, quam pro omisso litem, eventu ambiguam, Auditoribusque invisam, suscipere maluit. Exemploque frugifero non agricultoris solum, sed & hortulani, hortum æque ac agrum amplificans, atque ædificatoris, ædem quoque lapideam struens, valde ruricolis profuit. Ideoque in penates quoque Societatis Physiographicæ Lundensis 1781 accitus fuit.

are apte, narrare aperte, late probare, & presse perorare, hæc natura, hæc ars fuit. Documentoque Synodica Nostri cura: quæ sibi fidem miraculi prope fecit. Facta erat irrita, quæ aliena & ordinaria foret. Displicuerat enim operis rigor Censori: cujus autem nec tenor Auctori placuerat. Ipsique supposita hæc extraordinaria est. Qua autem defungi in brevi, proposita quamvis quæstione magna & difficili l), oportebat. Tamen ita ei responsum est, ut nihil nisi animo ævoque maturum in medium allatum fuerit. Professorie, & quasi semper in media luce (non aliquamdiu in opaco) versari licuisset, disputatum est. Nomen vero Theologiæ Professoris meruit tantum m). Quod & paullo post oblatum; sed cui quod Theologiæ

l) De Sacramentis generatim Dissertatio, edita Lond. Goth. 1768. 4:o. 10½. Quæ d. 3 August. e. a. scribi cœpta, & d 11. 12 Oct. e. a. publico examini subjecta est. Ea autem, quæ Præsidis Ordinarii fuit, Gryphiæ a. 1770 emissa.

m) Nomine & dignitate Theologiæ Professoris d. 27 Sept. 1782 decoratus.

ologiæ Doctoris non additum fuit n). Intervenerat, qui obscura arte aut gratia validior. Sed sine invidia obvenerat. Obscurus enim, qui officit. Deinde par studium nec deerat. Legere aut scribere, quoties ab officio vacabat, ea animi relaxatio fuit o). Noctibusque (dies non suffecerunt) uti, hæc corporis quies. Quibus vero actis insomnibus, eo acutius cogitabatur, quoniam nihil, nisi quod mens videbat, tum visum est. Tanta temporis parsimonia fuit. Quod, nisi literis tributum fuisset, periisse putabatur. Effingereque aliquid, quod,

 cum

n) Erat in eorum numero, quos, nato Principe regni Hereditario 1778, Theologiæ Doctoris nomine dignos M. V. Cons. Eccles. judicavit. Quomodo etiam d. 29 Sept. 1781 a Ven. Facult. Theol. apud Cels. Com. &c. M. Falkenberg in hunc honorem commendatus fuit. Cui etiam voto annuere huic placuit; sed sub edendi pro hoc gradu speciminis conditione; quæ autem, utpote tot aliis non statuta, accepta non est. Ratioque in aperto. Verus qui honos, ille in conscientia generis humani, non in magnificentia inanis tituli, positus est

o) Intervalla curarum arte torni graphiive distingvere, moris erat.

eum res cetera alium atque alium dominum habitura esset, suum semper foret, in his vigilia, in his somnus reponebatur.

Miraberis vero magis, quod multa tam scrupulosa in illis etiam voluminibus absolverit, ubi sciveris, quod puerili simul institutioni operam dederit. Incertumque, melior ipsa res, an meliori exemplo acta fuerit. Committere sobolem, ut emtæ nutrici, sic pædagogo mercenario, humanitas vocatur. Sed barbaries vera hujus rei appellatio est. Nam animus haud minus in unius inscitia aut incuria, quam ex alterius vita moribusque corpus periclitatur. Qui autem erat sui Filii, tener & rudis, integer & sincerus, ut statim a primis annis recta & honesta ille saperet, personam præceptoris Pater ipse induit p). Neque eam, quam diu hic a studiis Academicis domi feriabatur, prælegendo historiam & philosophiam deposuit. Quam sic etiam gessit, ut (quod incredibile) ars, quam natura, plus valuerit. Maluit enim Puer assidere libris, quam pila ludere; sicut cum majoribus ætate,

p) Erudiendi autem Filii finis qui fuit, ille instituendi item propinqui initium exstitit.

ætate, quam cum paribus aut minoribus, versari item Hic præoptavit. Tanta sapientiâ ejus curæ, tantaque verecundiâ ejus remissiones temperatæ fuerant. Magnusque inde usus: multum judicii, & plurimum constantiæ. Quanto autem magis inter æquales Hic excelluit, tanto facilius honores assecutus est, aut alios in honoribus anteiit. Quin ad eos, qui sacerdotalis & Academicæ dignitatis summi sunt, adscendere, id ipsius sorti assignatum fuit. Finxisse autem mores, qui eo fastigii duxerunt, Parentis ea gloria; sicut Parentem similitudine parique sacrorum & ingeniorum curá decorare, hæc Filii futura. Cetera nomina, Episcopi, Pro-Cancellarii, Ephori, fortunæ data, & in Successores transitura: hoc, quod virtuti vindicatum, tam proprium quam paternum futurum; atque in judiciis hominum, fama rerum id mansurum.

Neque, quo summa admirationis pertinet, hoc reticendum. Parum erat, uni, ut mentio facta est, sic vacare. Etiam, titulo officii in desidiam non verso, per plures itum. Quod enim omnibus, & in templo, vero affectu (nihil sine igne inardescit, aut sine humore madescit, ut nec aliquid

aliquid dat alteri colorem, quem hoc ipsum non habet) dictum fuerat, idem bona ratione (docet hæc, quid credendum, quid sciendum sit) singulis, & domi, repetendum & inculcandum erat. Confidere autem alienæ virtuti in re tanti momenti, contra omne fas id visum est. Quapropter, & quotiescumque rudimentum sui in divinis tirocinii quisque deponeret, Noster interfuit, audivit, cognovit. Nec unquam, & quidem præcipue, ubi de sacra cœna novitiis obeunda quæstio erat, mediate actum est. Cepit tum ipse experimenta ingeniorum; eorumque fidem, tactis altaribus sacrisque piacularibus, quasi jurejurando, item solus obstrinxit. Neque alias vox ipsius tam intenta fuit. Surgens hæc magnitudine sacrosancti testamenti, atque vim, speciem inde arripiens, sideris instar principis, tum omnibus, qui affuerunt (concio advocata erat) idem lucis & caloris largita est.

Magnus civis, bonusque pater, etiam par dominus, nec minor homo Noster fuit. Natus eductusque ipse in libertate, nec aliquid ne in servo quidem servile passus est. Libera enim, cogitabat, est virtus: quæ autem impatiens dominationis inter verbera & contumelias vilescit: diutiusque hostis, quam

quam mancipium, fide & affectu tenetur. Quapropter consilio potius quam vi res sua familiaris administrata. Regimenque ut mite penes ipsum, sic obsequium & parendi amor apud ceteros fuit. Unde stimulo libenter currentibus non opus. Constant officia, ut studia, voluntate: lætioresque vigent herbæ, quæ sua sponte nascuntur. Hinc melioribus famulis non alius usus est. Qui autem pars domus fuerant, iidem mox reipublicæ fiebant. Bonosque & fideles sic cives etiam formasse, inter multa Hujus egregia non in ultimis laudum fuit.

Tanta vero animi magnitudo non limine coërcebatur. Etiam foris alienæ libertatis Noster sat memor fuit. Quanta dextræ verecundia, oris gratia, vocisque svavitas ubique obvia? Tamen nec ipse sibi defuit. Vicem, ut amor, observantia quoque alieni exigit: neque silentio despicientia sui transmissa fuit. Etenim sui dissimulans Noster non innotuit. Satis autem ipsi, utcumque in iram præcipiti, erat, sui offensionem significasse. Odia in longum non jacta: nec ultra verba honoris sui vindicta. Nihilo minus ab iis, quibus ex arte simulandi mag-

num

num æstimare hominem mos est, in superbiam hæc accepta est. Quæ vicissim rectius interpretantibus justa, neque sublati neque depressi supercilii, ambitio visa fuit. Tanta autem generi humano insita est, ut ii, qui superiores naturæ aut fortunæ dotibus fuerint, haud satis summisse se gerere videantur.

Hoc ingenio, hoc animo sibi & patriæ Noster vixit. Veraque, quæ ei constitit, reverentia fuit. Neque enim officio, sed ipsi hæc adhibita. Quod penitus vero animus sensit, id etiam gestu habituque monstratum est. Quæ eum visendi cupiditas? qualis venienti ei assurgendi properantia? quanta, ipso loquente, tacendi modestia? Neque accidit Huic, quod multis aliis, qui in alto secessu studiis se asseruerunt, ut tristis & acerbus senesceret. Nam, quæ plurium sunt ætatum virtutes, puerilis hilaritas, constantia virilis, senilisque severitas, in eo conjunctæ fuerunt. Quæ autem omnes sic moderatæ, ut nec facilitas auctoritatem, nec gravitas amorem deminueret. Tantaque earum, etsi diversarum, concordia fuit, ut altera alterius confinio non læderetur. Ideoque domus

etiam

etiam sua hominibus, primæ, mediæ, extremæ ætatis, qui de literis bene mereri aut cœperant, aut pergebant, aut desierant, frequens fuit. Ipsumque ut statuam vidisse, satis grande itineris pretium existimatum est.

Sed interfuit rei publicæ, ut vir tam magnæ bonæque famæ comitia regni obiret q). Quæ autem omine infausta. Præcesserant, præmatura hiems, summa frigora, nives cœlo immistæ, aliaque tristia futurorum præsagia, & manifesta Numinis propter mores irati indicia. Tamen, quod, Jove tonante fulguranteque, observatum Romæ est, comitia illa ob minas has cœlestes diremta non fuerunt: aut, quæ fato manebant, etsi significata vitari non potuerunt. Patria tum plurimis nulla aut alia: non mos, non jus: spreta imperii majestas: projecta Senatus auctoritas: populique vox effrenata & contumax. Neque alia res in potestate fuit quam ut Nomini Regio par vis redderetur. Enimvero præsidium periculi periculum fiebat. Etenim in civitate, ubi nec toti libertati, nec toti servituti

---

q) Inchoata hæc Holmiæ a. 1789 men. Januar.

ſervituti locus eſt, quam fatalis hæc vis ſuo auctori fuerit, eventus docuit. Vitiis autem viribusque eorum, quibus in turbido ſpes & conſilium erat, Noſter non mixtus. Effuſus ille ex contrario in vota, atque ſupplices voces, manus in cœlum tendens, precabatur, ut iræ civiles hoſti in exitium verterentur. Sicut etiam, ne in poſterum tales exardeſcant, non modo præfari Chriſtianismo, ſed & præcipua ejus momenta imperiique firmamenta, quibus mature juventus in ſacramenti item civilis reverentiam imbuatur, componere, rogatus a plurimis ſui Ordinis fuit r). Ubi enim imperium nec legum nec hominum valuerit, metus a Deo adjiciendus erit. Tantam ſui in divinis exſpectationem Hic ſuſtinuit. Quam etiam libellis, de

---

r) Duplex hoc opus: neque id imperfectum: cujus etiam pars prima typis exscripta Holmiæ 1813. 8:o, titulo: Sammandrag af Bibliska Historien. Sic etiam testis ille religiosus constitutus est, ubi experimentum cognitionis, qua Christianismi imbutus fuerat Princeps regni Hereditarius, captum fuit. Societatemque pro Fide & Christianismo e. a. d. 28 Mart. vocatus iniit.

de tuenda optime firmandaque nostra religione compositis, & ad Acta Ord. Eccles. missis, æquavit aut superavit s). Neque eam, quam sibi in humanis fecerat, fefellit. Delatum fuerat, ærario effuso, ad Ordines regni, ut omnes adepti pares honores, quamquam reditu impares, æque vectigales forent. Neque procul, ut inter turbidas rogationes hæc etiam promulgaretur. Subversor vero legis tam iniquæ Noster cognitus est. Quippe qui auctor fuit sententiæ, id, quod ambitiose exhaustum, male per raptus suppleri; idemque svasor, ne, qui corrigendis moribus delecti essent, remediis ii graviores innotescerent t).

Duplex

---

s) Tituli: a) om bästa sättet, att i Christendomen undervisa barn. b) om nyttan och nödvändigheten, att å landsbygden hålla predikningar öfver Epistel-texterna. c) om medel till Naturalismens och Socinianismens hämmande i vårt k. Fädernesland.

t) Dictamen ad Prot. om obilligheten, att utan afseende på Lön och inkomster, beskatta dem lika, som hafva lika tjenst, eller embetsvärdighet.

Duplex vero illa intempeſtas, ut quæ invidiæ fuit, libertati reipublicæ, ita quæ brumæ, ſaluti Professoris noſtri nocuit. Petierat Holmiam animo & corpore vigens; ſed utroque affectus domum rediit. Eluctari vim ſævientis naturæ, patriæque diſcordantis periculo colluctari oportuerat. Hinc peruſti artus, nervi rigentes, oſſaque enecta: &, quod malum erat maximum, mens, ut ſagax, ſic futuri præſaga, adverſique illius anxia. Atque inde valetudini longæ & iniquæ cauſſæ & initia u). Quæ autem fuit acutus articulorum dolor: febris lenta & ardens: magnaque indies defectio. Quamquam Medicus pro ægrotantis vita ſuaque fide perinde ſollicitus, nihil ſuæ artis inexpertum reliquit. Nam clauſum adverſus omne medicamen corpus erat. Membra in pallorem albentia: calor vitalis ab extremis cedens: labensque ſpiritus. Tamen ſuprema neceſſitas conſtanter tolerata. Non quæſtus, non lamenta. Quin is erat habitus oris, ut, innocentia dolores ſuperante, ridentis etiam ſpecies præbita fuerit. Terret noviſſime ſua quemque

u) Hæc, ingruente mense Oct. 1789.

que conscientia mala : neque adversus ejus laniatus, quibus ut tormentis commissuræ corporis ea laceratur, solitudo aut fortuna defendit. Bona autem, & quæ Nostri erat, eminens hæc foras, & quæ supra sidera contemplans, immortaliter inter ipsos cruciatus lætabatur. Ipsique par etiam vox resona. Quæ autem talis, qualis vix ulla unquam humana & morientis audita est. Missa ea, ut instinctu divino oraculove edita: ultimæque qui interfuerunt, ii exinde quasi superne tacti obstupuerunt. Ita assidenti Conjugi, Filio foventi, & circumstantibus Amicis valedictum est. Quæ vero cum, spirante arctius anima, deficeret, charta cum calamo desiderata est. Scriptisque (tanta religio & fides suique moris fiducia erat) scriptis inquam tribus his verbis, beate moritur Faxe *), mens sua cœlo recepta est x). Jam funus & luctus. Sed memoria superstes. Cujus etiam

*) Salig dör Faxe.

x) d. 7 April. 1790. Plura de novissimis sermonibus vitæque momentis in supra citat. Äreminne &c. p. 17. 18, & in Concione funebri Præpositi Kahl p. 41, 42.

etiam imago in ipfius vita ut in fpeculo repercusfa. Eamque fic imitando effingere, ut, quot lumina acceperit, totidem redderet, proba nobis contentio fuit.

IV. Memoria

OLAVI CELSII,

Scaniæ et Blekingiæ Episcopi, Academiæ Pro-Cancellarii.

Magnum & memorabile, P. C., ut fpectaculum oculis, ita ornamentum roftris exhibuit funus Olavi Celsii, Epifcopi & Pro-Cancellarii Noftri. Quæ enim viri claritas? Quæ exempli falubritas? Quæ argumenti magnitudo? Si carum fuit Conjugi, longæ valetudini affidere, fi pium Familiæ, fuprema verba & mandata excipere, fi honeftum amicis,

amicis, mortuum luctu non ignavo prosequi; pertinet ad utilitatem rei publicæ, ad exspectationem Populi Svecani, ad conscientiam generis humani, facta & studia tanti hominis cognoscere.

Multa & magna ingenia Sveciæ libertas genuit, doctrina aluit, & eloquentia exercuit. Celsii vero aut existimatio nos fallit, aut non alius plura & majora animi bona collegit & miscuit. Inclaruit aliquis in solitudine, sed obsolevit in foro: alium veri cognitio, non actio nobilitavit: unus ingenio carminis, alter studio annalium famam consecutus est: ille quæsitam scribendo laudem in dicendo, hic dicendo partam in scribendo perdidit. Has autem virtutes, quæ singulæ per se multum valent, qua laude & admiratione Celsius conjunxit? Idem scientia rerum & usu valuit: idem historicus & vates, idem scriptor & orator fuit.

Hæc autem meminisse, si jucundum, proloqui honorificum erit. Detur ea venia illustribus viris, ut, quomodo exsequiis, ita laudibus a promiscuo hominum genere distingvantur, & velut ignavia per silentium apud posteros perit, sic magna virtus propriam & constantem sui memoriam

habeat

habeat accipiatque. Atque hic mos quo antiquior, eo ſanctior eſt. Druſum Filium Tiberius Cæſar, Virginium Rufum Cornelius Tacitus pro roſtris laudavit. Quid tum nobis faciendum, quibus contigit exemplum, ſimile antiquis? Et dubitamus, plusne gloriæ illis, an verecundiæ Noſtro tribuatur. Nec enim more Rutilii aut Scauri ſuam ipſe vitam narravit, nec ad imitationem Ciceronis ab aliis ſuas laudes rogavit. Satis ei fuit, poſterati facta oſtendere. Ea tradere, nobis relictum eſt: id quod plus etiam fidei & minus obtrectationis habebit. Neque nomini officiet, quod nobis interfuit aut præfuit. Quo enim propriorem, eo majorem vidimus.

Omnia itaque, quæ pietas, quæ humanitas juſſit, properata fuerunt: ſupplicatio & gratiarum actio ad Dei immortalis altare pro ſingularis viri munere peracta: & oratio in honorem ſemper victuri nominis a Senatu decreta: ego, qui orarem, ſolus cunctabundus. Conſideravi enim, ut amplitudinem materiæ, ita difficultatem. Veſter autem, Patres, conſenſus mihi neceſſitatem fecit, & quam vellem, ut hæc ingenium feciſſet. Quod

vero

vero votum si frustra nuncupatum fuit, laborabo, ut in hoc officio, cum eloquentiæ satis non possim, veri tamen præclarus videar.

Iam vero, cum clarissimi hominis suprema narraturi sumus, congruens videtur, primordia illius aperire. Plures in familia virtutes quam imagines monstratæ. Apud Romanos frugalitate Pisones, pietate Metelli, & sapientia Lælii nobis cogniti sunt: ista vero omnia unum Celsii nomen complexum est. Abavus a) enim cum conjuge & liberis agro illaboravit, parvo & suo in Smolandia beatus: Atavus b) se & ingenium Deo dicavit, idem sacer & minister & vates: Avus c) sublimi ingenio & Matheseos studio cognomen Celsii meruit magis, quam paternum Travillagæi, aut proprium Helsingi, aut adscititium Metagrii am-

a) Magnus appellatus, & agricola in Ydria Smolandiæ.

b) Nicolaus Magni Travillagæus, Præpositus in Ofvansjö Helsingiæ, nonnullis etiam hymnis posteritati cognitus.

c) Magnus Nicolai Celsius, Mathematum Professor Upsaliensis.

ambitiose mutavit: & Patrem d), illud civitatis & scientiæ Orientalis lumen, æque definite distingvet, qui Magnum, & qui CELSIUM appellaverit.

Hæc majorum decora, ex quibus nihil arrogantiæ accessit: & hinc eximia natura, nullius non fastigii capax. Artem institutio & usum locus dederunt. Sedes enim & magistra studiorum Upsalia fuit: cujus etiam, velut Athenarum, tenue cælum judicii subtilitatem auxit. Et more majorum, severitate & disciplina eruditus est. Nondum impleverat orbem opinio, quæ jam humanitas vocatur, ingenia libere educata valentiora fieri, quomodo indomitus ager lætioribus herbis florescit. Mira est diversitas puerilis naturæ, ut eadem pudenter & impudenter agat, otium cupiat, & quietem oderit. Scilicet juvenili ingenio, mobili & contumaci, magis placet, huc & illuc discurrere & periclitari, quam assidere litteris & stilo incumbere, magis, sibi esse exemplo, quam ætati & auctoritati cedere.

---

d) Olavus Celsius, Theol. Prof. Prim. & Archipræpositus Upsaliensis, qui hunc Filium, sibi parem, orbi dedit Anno 1716 d. 15 Dec. st. vet.

cedere. Huc itaque omnis institutio, votum Parentis, & cura Pædagogi spectavit, ut invisa primo diligentia & modestia postremo in amore & pretio haberetur. Et ne domi, velut in umbra & opaco, sine socio, sine æmulo, animus torpesceret, aut inani persuasione tumesceret, studia extra limen, quam primum fieri potuit, in spatia Academiæ proferebantur. Probrosum hic, cedere patibus, pulchrum, superiores antecessisse Jam affectu magis, quam officio proficiebatur, & quo plus ingenii, eo citius. Tamen honores sapientiæ, quos antiquitatas invenit, & recentior ætas cumulavit, non festinabantur e). Id etiam ex veteri instituto. Mora enim & visu, sicut studia valescere, ita studiorum insignia clarescere, existimarunt majores.

Agentem cum ratio sic duceret, nec fortuna deseruit, quæ hunc ordinem servavit, ut alienas & Bibliothecarii vices prius, quam suas & Historiarum Professoris Upsaliæ Celsius susciperet, & major

e) Creatus Philosophiæ Magister 1740.

majori industria quam præmio expleret f). Illustriores enim quam dites provinciæ erant. Ita felicitate corruptus non est, sed diligens fuit, ut pauperes esse solent. Quanto autem domi occultior, tanto plus famæ consecutus est. Sed animus anteire non avet, & quibus ingenii operibus tum magnus & clarus haberi cœptus est, memorare placet, cum de universis pronuntiare licebit. Quæ vero præcipiendi facultas fuerit, jam cognoscere volumus. Si prima est laus publici Doctoris, bene scire, proxima est, bene narrare: quæ tanta fuit Celsii, ut quod Æschines de Demosthene, idem nos de Nostro affirmare possimus: quid si ipsum audissetis? Nam placuit aliquid, eo dicente, quod legentes fugit. Sive enim subita, sive meditata proferebat, id pro persona, re & loco ita fiebat, ut à principio exspectatione dignus, attente audiretur, nec unquam longus videretur. Igitur auditorium, sine ambitu, sine rogatu, semper plenum fuit; & ipse per nomen & clientelas illustrior indies habebatur. Neque pulcrius visum, ingenio

f) Alteram dignitatem An. 1744, alteram An. 1747 obtinuit.

ingenio quam animo de Academia bene promereri. Hæc enim, si parva componere magnis fas est, ista ætate, ad exemplum Reipublicæ Svecanæ, quod ex libertate vitium fuit, discors & divisa erat. Celsios vero earum fuisse partium, quæ caussas & merita spectarunt, non composita, sed audita & scripta res est.

At foras eminebat mens elata, quamquam suorum non incuriosa, & Havniam adeundi cupido incessit g). Habebat Dania plurimum antiquitatis & exempli, magnam novis rebus materiam, quæ causa itineris erat. Et operæ pretium fuit, non modo inclitas per indigenas advenasque Bibliothecas scrutari, sed insignes etiam parare amicitias, neque breves & inanes futuras. Ipsa studia præcipiunt, amicorum officia litteris mittendis accipiendisque tuenda esse.

Peregrinatione & laudis suæ cursu jam lætabatur: spes tamen melioris in posterum sortis non propior visa. Academiæ, Juventuti & famæ semper servire, animus & consilium erat. Interfuit etiam

g) An. 1749.

etiam rei publicæ, tantum ingenium ingeniis prodesse. Necessitati autem magis, quam sibi parere, pars etiam rationis est. Nihil æque quam inopia fatigabat, & hæc religionis ac sacerdotii h) admonuit. Si enim humanitas efficit, ut malum melius intelligatur, pietas præstat, ut patientius feratur. Omen præterea erat, sic palam sequenti Deum omnia prospere eventura esse. Nec fides ominis fefellit, congestis honoribus, aut honorum titulis. Nomen Theologiæ Doctoris famæ insertum est i); nobilitate etiam data k), cum id rarum, nec nisi virtutis præmium esset. Secuta sunt, quæ satiant, repetita in sede regni sacerdotia l), & randem Scaniæ & Blekingiæ Episcopatus Academiæque Carolinæ Pro-Cancellariatus m), apto & congruente orbe. Spatia enim, quæ petendis potiundisque

h) quod iniit An. 1751.

i) An. 1752.

k) An. 1756.

l) Pastor Ecclesiæ Ulricæ Eleonoræ An. 1753, Sti. Jacobi & Sti. Johannis An. 1760, & Sti. Nicolai An. 1774 constitutus.

m) An. 1777.

que honoribus ſtatuunt leges, implevit, & tarde, id eſt, ſecundum naturam, quæ nihil magnum cito effici patitur, per ſua & aliena experimenta ſemper melior ſurrexit. Adverſis etiam probatus, ſecundis uti didicerat. Quid itaque laudandum? Felicitas, an virtus? Illa tranſiit: hæc perpetua & ſua manebit.

Sed qualis in votis Sacerdos, in jurejurando Civis, in foro Rhetor, in Senatu Præſul, in otio Scriptor, in vita Homo, & in morte Chriſtianus fuerit, ad illa mihi pro ſe quisque nunc animum intendat. Honeſtam de Numine in hoc Viro opinionem ſine injuria pontificatus non retulerim. Scire autem, quam prudens interpretandæ voluntis Divinæ nobis ſpectatus ſit, exempli & humanitatis plurimum refert. Tantum eſſe bonum rem Chriſtianam putavit, ut nihil niſi ejus moderatio noſtræ felicitati deſit. Quæ autem intelligentiæ eſt, primum in voto erat. Reverentius enim dicebat de Divinis credi, quam cognoſci. Arcana hæc ſunt, quorum ratio in cælo tutiſſime latet, & ſi vulgata fuiſſet, illius nec capax nec celans foret ingenii humanii imbecillitas, hæc fu-

turi ſtatus infantia, quæ præceptis ad fidem, hortaminibus ad ſpem conformetur. Et exemplum petebatur ex imperiis humanis, in quibus tam neſcire quædam, quam ſcire oportet, & juſſa exſequi potius, quam conſilia ſciſcitari decet. Eadem de cæremoniis perſuaſio fuit: quibus ſanctum aliquid & providum ex ipſa ſenectute ineſſe credebatur. Comperto enim, avidam eſſe & ſæpe fallacem ambitionem humanam, vetera & tuta magis, quam periculoſa & nova placuere. Itaque, cum nuper de Sacris Sollemnibus in commune conſultaretur, rogavit ſvaſitque, ut lima polirent, non extererent, neque religioſius, quicquid ſit aliud, prædicaretur, ſed etiam id, quod ſufficeret, probaretur. Deinde ipſius & pietatis modum eſſe voluit. Hæc enim, ubi nimia fuerit, vehementius quam conſideratius excitat, quomodo honeſtiſſimam cauſſam, ſi judicium defuerit, pernicioſus exitus conſequitur. Nec iniquior ſacri alieni quam ſui æſtimator fuit. Et pro argumento erat, Deo Dei injurias curæ eſſe, & pœnitentiæ dari locum. Pulcherrima exiſtimabatur pietas, quæ rotunda inſtar cæli offenſionem & aſperitatem non habet, aut æqua ut ſpeculum imagines non deformes reddit.

Neque

Neque hoc judicium temperamento carebat. Sentire quidem, quæ quisque velit de ſacris, non autem dicere, quæ ſentiat, per Noſtrum licuit. Magis enim in hominis poteſtate eſt, tacere, quam non cogitare, & error, qui intus latet, privatim tantum nocet.

Quæ religionis, eadem rei civilis prudentia, fides, & conſtantia fuit, ita ut neque licenter, æquato omnium jure, neque ſerviliter, illo mutato & temperato, ſe geſſerit. Cum, turbato rerum ſtatu, leges loco auctoritatis vincerentur, cum invalida Regis potentia, projecta Senatus auctoritas, & effrenata Populi audacia eſſet, cum ambitio & cupiditas omnia premeret & diſtraheret, magisque de victoria quam de ſalute certaretur, ſe & rem publicam pari virtute & eloquentia ſuſtinuit. Præmia perfidiæ, largitio & potentia, nihil valuere apud animum, quem æternitas rerum, fas generis humani, gloria majorum, ſalus patriæ, & libertatis memoria impleverant. Neque hæc propter vetuſtatem incerta, aut propter amorem falſa profero. Vivunt adhuc, qui non opinantur, ſed ſciunt, nihil minus Celsio corruptum vel

cor-

corruptorem fuisse. Etiam ipsi invidi, quibus bona eminentis in deterius interpretari mos est, sancte affirmant, hæc vero majora non tradi. Fides item ex cetera vita. Qui pecuniæ privatæ cupidus non fuit, qua ratione publicæ avarus existimetur? Qui multa multis de suo jure concessit, qua veritate ex spoliis patriæ vixisse dicatur? Qui inopiam, cum honeste eam sublevare liceret, fortiter toleravit, qua fide opes, quæ nonnisi per malas artes haberi possent, concupivisse audiatur? Et denique, quamquam hæres satis ditis familiæ, semper diligens & parcus, diuque fortuna illustri egit, tamen pauper exstinctus est. Hic supremus honestati cumulus accessit. Si vero dicendum, quod res est, ambitiosior quam pro sui utilitate fuit. Divitiæ enim & facultates, ut cetera mortalia, infra animi magnitudinem erant. Gloria autem, cujus maxima pars in posteritatem prominet, quæ magnis in patriam & genus humanum meritis tanquam imago resonat, & quæ ab ipso Deo æstimatur, hæc in voto, & virtus in aperto fuit. Fidem addit testamentum, quo CCCXLVII. volumina rerum manu scriptarum, nec numerum magis quam pretium (rara enim & cara sunt), in

com-

communem usum reliquit, singulari exemplo, amorem patriæ plus, quam suorum valuisse.

Plura de innocentia, quasi diffiderem, non dicam. Quæ pro re publica vox fuerit, jam paucis repetendum videtur. Hæc ut ad occasiones non venalis, ita nec ad pericula segnis fuit. Servientium enim est, tacere. Aderant virtutes, quæ imperatoriæ vocantur, magna scientia, par eloquentia, nec minor auctoritas. Quis enim Celsio prudentior? qui historiam, futura præteritis augurandi magistram, a prima ætate coluit. Quis orandi validior? qui infensis sui ordinis patribus restitit solus, nec nisi sua sponte cessit. Quis auctoritate plus valuit? qui, sive de pace aut bello, sive de vectigalibus & legibus, quibusque aliis res publica continetur, disseruit, non minus nomine & vultu, quam ratione & voce, silentium disertis, fidem faventibus, & metum adversariis attulit. Major privato habebatur. Hoc autem ingenio ceterisque bonis artibus in comitiis facile honores consecutus est, aut in ipsis honoribus alios antecessit. Eminentes enim virtutes respublica sectatur. Et præfici ærario, quod Romani ut templum,

ut Numen coluere, & assumi in conscientiam rerum, quæ secreta imperii spectarent, quo honorificentius fuit, eo plus operæ datum est, ut, quanti visus esset aliis, tanti & sibi videretur. Nam sciebat, inter eum, qui ad dignitatem nascitur, & qui eligitur, hoc interesse, quod, si ille deliquerit, sibi tantum convicio sit, si hic, etiam civitati. Et sua potestate, quæ tanta fuit, quanta in libera civitate unius esse potest, uti ad amplificandas etiam honestas & ingenuas artes, libertatis socias, libero ingenio dignum erat. Quibus enim temporibus hæ optime æstimantur, iisdem ingenia & virtutes facillime nascuntur. Atque exemplo fuerunt Cicero & Alexander, qui tot labores & discrimina non suscepissent, nisi alter in ingenio Lucceii, alter in opera Lysippi & Apellis spem immortalitis posuisset. Ubi enim non defuerint, qui laudanda prædicaverint aut effinxerint, nec deerunt, qui prædicanda aut effingenda fecerint.

Personam vero si gravitatis respublica, moderationis natura ei imposuerat. Cum is esset in patria habitus animorum, ut contactu partium in favorem aut odium nihil non ageretur, & fortuna

in

in victoribus, indignatio apud victos misceret cœtus & colloquiis impelleret, Celsio judicium & reipublicæ amor fuit. Nullius læsi crimen aut querela. Qui enim animus semper, idem & tunc fuit, ut iras & ultionem neque superior exerceret, neque inferior meditaretur. Satisque est documenti in eo, quod cum pœna, incertum major an justior, a cive repeteretur, venerit & intercesserit. Plusne vero laudis habuerit, dicam, adversariis, cum jacerent, succurrisse, an admirationis, cum florerent, benefecisse? Virtutis tam sublimis etiam exempla sunt, quæ dicerem, nisi invidia hanc pulcherrimam orationis meæ partem eripuisset.

Atque sicut ad imperandum, ita ad parendum non habilius fuit aliud ingenium. Cum jura placuissent, quibus concordia & Rege uteremur, fidem eadem constantiâ, & ex dignitate reipublicæ retinuit, quo longior ab adulatione, eo auctoritati propior. Obedire, non servire, didicerat. Simplicissime eum Suprema fortuna loquebatur, & quod oporteret, libere suasit, sine offensionis periculo; ita ut haud nihil ambigam, sorte quadam nascendi hoc contigerit, an in ore vultuque, dic-

tis

tis & consiliis aliquid fuerit, quod necessario placeret. Licuit CELSIO, inter nimia & fœda, abruptam contumaciam & deforme obsequium, suum & securum pergere iter. Quo fiebat, ut non sine reverentia ab ipso Principe amaretur. Nec quicquam fuit, quod non impetraret, perinde ubi gratia quam ubi jus opus esset. Tam honesta rogavit! Quædam etiam sponte data, Aureum Collare n), Stellaque Ordinis Polaris & Commendatoris o); quæ insignia deprecatus non est, cum ambiguam hoc interpretationem habuisset, quasi ea minora, nec nisi inanem honoris umbram putasset.

Ad ea, quæ in suam Diœcesin & nostram Academiam contulit, jam properamus. Neque enim convenit, sicut in sterili materia, in eadem laudis specie diu commorari. Antequam ad nos veniret, magna fama præcesserat, nec, cum venisset, ipse minor inventus est. At vero inter initia cum facere bonos, quam ad postremum malos reprehendere, præoptaret, sui quemque officii admonuit; si acrius, quam

---

n) An. 1778, cum sacro lavacro Principis Gustavi Adolphi interesset.

o) An. 1787.

quam ambitiosis & spectatæ virtutis par fuit, dubitatur, id suo magis ingenio, quam arte & impulsu egerit. Credula est fama, inter amicos præcipue: & homo integer minimeque sui obtegens, sed commotior, facile tum dixerit aliquid aut scripserit, cujus deinceps pœnituerit. Sed esto, dicta argui: factorum innocens fuit. Si est magistratus, nihil contra morem vel propter utilitatem cupere, vel ob formidinem recusare, CELSIUS suum & Episcopatus præclare gessit, utrimque egregius, studio recti & studiorum amore. Animum enim nec sollicitum efficere nec a vero flectere potuerunt res, quas ut Numen colere aut timere solent homines, pecunia & gratia, offensiones & pericula. His autem justitiæ, virtutis, & fidei avocamentis liber & solutus, non spes modo privatas, sed ipsa etiam odia publicis utilitatibus remittere potuit & remisit. Nam intelleximus, obtrectatoribus sui iisque inopinantibus eum honores aut honorum vocabula obtulisse. Nemini, nisi illis, qui incuriose aut avare sacris præfuerant bonis, implacabilis erat. Alioquin & irasci & ignoscere novit. Nam ubi impetus offensionis consederat, memoria non valebat: & si quem ipse offendisset, non alius in pœniten-

nitentiam pronior fuit. Facile tum erat, non vinci rationibus, quæ lentius agunt, commendatione aut precibus. Avidos esse & festinantes, qui minores sunt, modestos autem & quærendos, qui capaces, non ignorabat. Adeo nihil fuit impedimento, quo minus ad jusjurandum & legem, existimationem civium, & verecundiam posterorum, facta & consilia dirigeret, sive jus & injuria in quæstione fuit, quæ nonnisi cognita caussa discrevit, sive fas disciplinæ & mos obsequii, quarum rerum non alius observantior fuit. Et ubi conscientiæ erat locus, cautum est, ne intenderetur ignavia aut industria langvesceret. Merita tum ponderare, quam numerare maluit, præcipue cum doctrina & doctore opus esset. Hinc votum & cura suscipiebatur, ut, quicquid usquam fama egregium esset, in Scholas & Academiam transferretur. Atque sicut hominum, ita studiorum hic delectus habebatur, ut quamvis sciret, perinde rerum quam temporum esse quasdam vices, & recens etiam ævum multa laudis & artium imitanda posteris tulisse, tamen veterum lectione sanctitatem & virilitatem doctrinæ facillime parari existimaret. Nec satis fuit, ad hæc hortari. Ut jubere etiam posset, petita est a Rege

&

& impetrata auctoritas. Atque ut æmulatio prô necessitate esset, discentes domi requirere aut in via agnoscere, industrios laudare, segnes impellere, & inopes gratia aut pecunia juvare, curam habuit. Periculum etiam consilio haud raro adjiciebatur. Nec enim ætati & valetudini parcebatur, ut occasioni & juventæ adesset. Meministis, Juvenes, quam libenter & sæpe fœdo imbribus die hic Pater, neque corpore neque senecta sistens, manibusque utrinque sustinentium pendens, vestri rudimentis ingenii intervenerit, & quam patienter ad serum usque vesperæ affuerit. Non cariores ei filii & nepotes fuerunt. Et hinc vester jam dolor æstimabitur.

Si autem nihil a natura melius habuit, quam ut officia reipublicæ sic colere vellet; tum nihil a fortuna majus accepit, quam ut Sapientiæ tam Humanæ privilegia tueri quam Divinæ commoda amplificare posset. Invidiosa Academiæ fortuna, tantoque plures & meditati adversus illius exemplum sermones exstiterunt: quibus vero Celsius occurrit, subitis non minus quam prævisis paratus, in animoque Principis validior. Et subvenisse

se Sacro provinciæ Chartophylacio, hianti & casuro, quo magis id displicuit obnitentibus, eo ipsi honestius fuit.

Enimvero ut non minori cum dignitate in otio, quam in negotio versaretur, quantum illi temporis res publica tribuit, ad eas artes, quibus a pueris deditus fuit, colendas & recolendas contulit. Persuasum enim habebat, magnam famam gratis parari non posse. Si licet illi, qui mortalitatem tantum cogitat, vivendi caussas quotidie rebus caducis finire, oportet eum, qui immortalitatem cupit, eas quotidie operibus mansuris inchoare. Ingenium vero cum multiplex & flexibile esset, modo historia, modo oratio, modo carmen legebatur aut scribebatur. Et hac varietate, sicut terra mutatis seminibus, gaudens animus plura & lætiora protulit.

Prima ei diligentia fuit Insignium Operum Memoria p), qua non alia & hujus generis in Svecia ante prodierat, ne nos, qui terrarum fumus, novarum quoque litterarum extremi essemus. Proxime

p) Edita sunt hæc Nova Litteraria An. 1742, quæ aliis ad edenda sua exemplo fuerunt.

xime secuta est Historia Bibliothecæ Upsaliensis, quæ ut egregia, ita cum invidia fuit q). Carpi enim non solet, quod in obscuritate & silentio reponitur. Et hanc excepit alia, quæ Initia & Fata Arcis Upsaliensis r), quod difficillimum est, ornate & breviter continet, quamquam sub adventum ADOLPHI FRIEDERICI festinatum opus. Compositum enim est uno die, neque illo toto, sed ea diei parte, qua sol & ingenium inclinant. Tamen, si-

q) Præclare de hac Historia in Novis Actis Eruditorum An. 1749: Commendamus cuilibet, qui litterariam tractat Historiam, præsens A. Celsii opusculum, Auctoremque rogamus, ut pergat conquirere, quæ ad Upsaliensis Bibliothecæ ortum atque progressum pertinent. Neque enim deterrere eum ab hoc poterunt consilio A. Norrelli, Collegæ sui, Stricturæ, - - - quandoquidem bonus Vir modestiæ passim leges violavit, & Auctorem nostrum variorum reum facit errorum, qui ad minutias sæpe, nostro quidem judicio, referendi videntur.

r) Plura de rarissimo hoc libello in Bibliotheca Histor. Sveo-Goth. cum Annot. Crit. & Hist. C. G. Warmholtz P. 1. p. 144.

ve pectus & Optimi Regis amor, sive vis & ratio quædam cælestis id fuerit, quod disertum fecit, extemporalem hanc fortunam meditato consequi temperamento facile non erit. Captoque tam prospere ingenii experimento, ad scribendam GUSTAVI I Historiam s) animus adjiciebatur; arduo quidem consilio, sed magnifico, quia inter periculosa inclarescit homo. Argumenti autem magnitudine Scriptorem non minorem fuisse, eventus docuit. Hæc enim imago sic eminet & exstat, ut expeditum non sit dicere, plus virtutis habuerit, qui meruit, an ingenii, qui posuit. Recens natum hoc opus, tanti est visum Populo Svecano, ut rem famamque auctoris Regi commendaret; quæ etiam commendatio in Professionis dignitatem cessit. Sic magna virtus sine ambitu felix est. Pari etiam

s) Nihil ad laudem illius potest majus afferri hoc Regis G u s t a v i III judicio: I en tid, då Historien war förwandlad till Krönikor, har, den förste, (C e l s i u s) med ett manligt skrifsätt upptecknat G u s t a f E r i c s s o n s förtjenster och rättfärdigat Sonen från många orättvisa beskyllningar. Handlingar rörande Svenska Academiens Instiftelse 1786, p. 14.

etiam ingenio, quantum in dispari argumento licuit, Annales Erici XIV, sine amore, sine odio, ut decet historicum, composuit t), Quæ autem monumenta, ut antiquas statuas aut picturas, æmulari, reddere & exprimere, exteris etiam curæ fuit u). Adeo perfecta visa sunt! Et quanta futuri spe latent, quæ Gustaviani Nominis inchoata reliquit? *) etsi, dum vita suppetebat, magnopere studuit, ut mors quam paucissima auferret. In similem modum neque curis, quas Svecanæ & Sacræ Historiæ susceperat, satis vixit x). Per contemplationem vero boni, quo fruimur, mansit civitati grande ejus desiderium, quo caremus. Tam decenter

t) Regis Gustavi III de his etiam illustre judicium supra sub littera (s) attulimus.

u) Gustavianas Celsii Curas quanti fecerint exteri, patet ex Année Litteraire An. 1777 T. 13 p. 196.

*) Præterea etiam Johannis III Historia Manuscripta in Bibliotheca Defuncti servatur.

x) Iterum hoc opus emendate & cumulate publicavit Auctor, suppressis, quæ primæ editionis exempla in vulgus exierant.

decenter fabuloſa, tam apte vera perſecutus eſt. Solatio eſt, quod ea, quæ reſtant, minori Bibliotheca & ſtudio perficientur. Explicata enim vetuſtate, quo propiora, eo compertiora tradere licebit.

At vero Hiſtorica magis virtute, an Oratoria laude floruerit, judicium eſt in incerto. Sicut Cicero, ita hic ſui ſeculi eloquentia non contentus, novæ & exquiſitæ dicendi formæ & ſpeciei ortum & exemplum dediſſe memoratur. Olim credebatur, diſerte & Svece neminem dicere poſſe. Tam male de noſtro ingenio & ſermone exiſtimatum eſt. Suo autem exemplo docuit Celsius, Septentrionalium neque tam frigidam eſſe mentem, ut ad magnas cogitationes incendi, neque tam rigidam vocem, ut ad ornatas inflecti non poſſit. Teſtes ſunt ipſæ Orationes, in qnibus nihil arceſſitum, nihil more pauperis mutuum & extrinſecus ſumtum eſt. Verba enim ſunt Svecana, ſæpe ex vetuſtate repetita, & cum auctoritate ſignificantia: compoſitio numeroſe decora: & ſermo inaffectatus, ſed omni fere arti inimitabilis, qui melle dulcior tanquam lingva Neſtoris fluit, & clarus

in animum, ſicut ſol in oculos, incurrit. Iſtæ Orationes numero duodecim, nec vulgares: duæ autem, ſcilicet omnium prima, quam die natali Principis Gustavi III juvenis Upſaliæ y), & omnium ultima, quam Unus ex Octodecim Academiæ Svecanæ ſenex Holmiæ habuit z), ut maxime inſperatæ, ita maxime mirabiles & nominandæ. Diverſarum enim ætatum virtutis habent, vitiis autem carent. Adeo nihil hinc exſultans & leve, inde attritum & exſangve occurrit. Sunt, qui ſingulas antiquis comparent, id eſt, recentioribus anteponant. Græca enim & Romana eloquentia, quamquam ætas ſupra duo annorum millia repetenda eſt, tamen mirum dictu, pulcherrima æſtimatur, niſi dicendum ſit, ſuam cuique ætati, ut hominis, ita ſermonis eſſe tempeſtivitatem, adoleſcentiæ

y) Primus panegyricus, Svecane conſcriptus, cui pretium Regina Ludovica Ulrica nummum aureum addidit.

x) Hæc oratio, quæ Regi Gustavo III pars antiquæ eloquentiæ viſa eſt, Eloquentiſſimo Principi ſtudium & gloriam Græcæ & Latinæ lingvæ in ſuo regno maximopere commendandi conſilium dedit.

ſcentiæ periculum & temeritatem, ſenectuti judicium & maturitatem. Quæ enim vultus humani, non eadem eloquentiæ eſt ratio. Die & tempore ille defloreſcit rugisque exaratur: hæc gratiam in depreſſis & admirationem in eminentibus retinuit, ſemper formoſa & hilaris, quamquam in maxima verecundia. Nec enim, in morem hiſtrionalis & recentis laſciviæ, ſupra cælum & ſidera facunde tendit, ſed naturam tanquam Deum per plana tutius ſequitur. Ad exemplum tam illuſtre ſe compoſuit CELSIUS, exemplo poſteris ipſe futurus, Orator noſtri ſeculi rectus & ſanus, grandis & ornatus.

Neque minus gloriæ luſus, quam feria pepererunt. Scribere hiſtoriam aut orationem, ſeveras habet leges, quæ certis rebus & perſonis immorari jubent, nec quo documenti opportunitas ducit, ſed quo facti neceſſitas cogit, ire permittunt. Componere vero carmen, eſt ingenii, quod naturæ ſpatiis, ut nobilis equus campo, gaudet & utitur, ſuoque argumento non inſervit, ſed dominatur. Ita, cum caſibus rerum humanarum ob ſimilitudinem & ſatietatem torpeſceret ratio, poëtices artificio & ſuavitate affectus in partes trahebantur.

bantur. Altiſſimo autem ingenio digna erat materia non privata. Res geſtas Gustavi I perſcripſiſſe non pœnituerat: canere jam placebat. Hinc origo operi Epico a), quod varium eſt & diffuſum, ut ipſa natura. Nam quædam recentia ſunt, & naſcentibus ſimilia: alia plena & adulta: nonnulla excelſa, quibus abrupta adjacent. Ratio diverſitatis in ſingulis fuit, quod univerſis extremam addere limam non licuit. Exierat fama, Celsium hoc ſtudiorum genere otium oble&tasse: & obviam ivit Regis deſiderium, ut, cum immortali Illi Principi ſtatua decreta eſſet, hæc altera & juxta poneretur. Tanta auctoritas pro ratione ſuffecit; ſupplere vero omiſſa, luxuriantia adſtringere, humilia extollere, & inertia accelerare, velocitas temporis aut occaſionis tarditas non patiebatur. Quo accidit, ut non pauca poëmatis, ſicut in rudi ædificio, non ſatis expolita & ſplendentia videantur. Quæ autem ſi diſplicuerint, id admirationem non habet, cum cœpta non perinde quam effecta placeant. Et modeſtior erat ipſi Auctori conſcientia, quam ut opus

a) Recensetur in den Neuen Critischen Nachrichten x B. p. 57.

opus absolutum putaret. In quibusdam vero, iisque extremis, si Homero oneri, Celsio tempori cedere licuit. Excusatius etiam hæc accipientur sub exemplo Virgilii, qui monumentum tardi & diligentis stili (paucissimos enim versus eum die finxisse, memoriæ proditum est) igne deleri, appropinquans supremis voluit. Tam difficile esse duxit, carmen scribere Epicum, quod semper & omnibus placiturum esset.

Neque silentio transmittatur industria, qua Latini etiam carminis gloriam secutus est. Multa scripsit: quædam edidit: plura continuit, quasi nobis voluptatem, sibi laudem invidens. Mereri autem hæc pulcherrimi animi otia, ut aliqua eorum cura sit posteris, affirmant, quorum judicio in hoc studiorum genere plurima fides est. Nam Latii non solum verba, sed etiam ingenia referunt. Tanta peritia & suavitas in visis inest.

Ad sacras etiam sedes Musæ duxerunt. Nam & hymnos Noster composuit. Quis autem Divina melius caneret, quam, qui templa obivit? Et quem præsidens altaribus sicut sideribus Numen propius audiret? Hinc sublimis animus & beatior

spiritus.

ſpiritus. Noſtri autem ſeculi de his judicia ſi qua levitas aut invidia tardaverit, verum dictura eſt poſteritas.

Quin & alienam virtutem in ſuam laudem vertere novit. In ſeceſſu hæc etiam ambitionis occupatio fuit, ut optima veterum exempla in Svecum transferret. Neque illud exercitationis genus ſterile; tulit enim duo ſpecimina, alterum ex prima Iliade, alterum ex prima Æneide captum. Græcam vero & Romanam ſubtilitatem, nobis difficillimam, aſſequi, exſpectationis non erat. Quamvis eloquentia ita inops non ſit, ut una de re ſemel tantum bene dici poſſit, tamen ſæpe facilius eſt, aliud & melius, quam idem & ſimiliter dicere. Præterquam enim quod in univerſa rerum natura vix quicquam occurrit, quod non aliquo diſcrimine internoſcatur, facies imagini, in quantum exemplum imitationi, præſtat. Illa vivit & movetur, hæc loco ſolidi umbra & ſpecie ſatisfacit. Utcumque vero hæc animadverſa erunt, non minus glorioſum fuit Celsio, cum aliis, quam ſecum contendere: & ſi paria efficere non potuit, ſubſequi ſatis habuit.

Virum

Virum tam insignem in nomina & virtutes Societatum, quæ ignota & magnifica disciplinarum generi humano profitentur b), adsciscí, rectæ æstimationis fuit. Neque in sua gente solum, sed etiam apud exteros id contigit c). Sapientes enim Sapientibus, etiam ignotis, amici sunt. Hoc vero præcipuum CELSIO fuit, quod illam gloriam, quam multi ostentanda virtute quærunt, famæ dissimulatione consecutus est. Antequam sui & facundi documentum dedisset, in penates adoptatus est Academiæ Holmensis; quam Svecanæ etiam Eloquentiæ instituere, pars Svecanæ item libertatis fuit. Tanta ingenii exspectatio erat: quam quoque implevit, & multum addidit. Electus enim, qui oratoriæ facultatis

b) Membrum Regiæ Academiæ Scientiarum Svecanæ An. 1745. Membrum Societatis pro Fide & Christianisimo An. 1775. Membrum Societ. Physiographicæ Lundensis An. 1778. Membrum Societatis Educationis An. 1784. Regiæ Societatis Scientiar. Upsaliensis Membrum 1785. Unus ex Octodecim Academiæ Svecanæ 1786.

c) Membrum Societatis Scient. Nidrosiensis An. 1769.

cultatis consilia sociaret, mox rector illius & exemplum habitus est.

Clarum vero in studiis vel sub imperiis nec domestica disciplina minorem fecit. Nuptiis, quas iniit, non alias meliores Pontifex ambierit, ductis in matrimoninm mulieribus, quæ intellexerunt, quid uxor marito, quid femina sibi debeat, ut suus sexus, imperii avidum genus, exemplum obsequii & modestiæ ab iis capere possit. Novemque liberos suscepit, quorum sex superstites, & in his duo stirpis virilis. Meruere enim majores, ne clarissima familia exstingveretur. Satis amplum etiam patrimonium relictum est, non instrumenta libidinis aut inertiæ & opes, sed memoria nominis, rerumque gestarum gloria, quæ optima est hæreditas, & efficiet, ut tristem casum ferre ambitiose Domus possit. Virtutes enim plangere non licet, sed imitari oportet. Et ita imbuti, ita instituti sunt posteri.

Boni etiam domini exempla habemus. Nec congruum fuisset, qui rempublicam bene gesserat, suos eum penates male coërcere. Et ampla servitia tenere, nefas putabat, qui liber vixit, & pro-

xime

xime libertatem natus erat. Modus etiam ſupellectili: quae, ſi magnitudo ſpectetur, vix mediocris, ſi uſus, non alia ſplendidior fuit. Quod vero caelatum, pictum aut fictum opus tam prodeſt & delectat, aut delectando prodeſt, quam excellentium virorum ingenia & vultus cognoſcere? Aliam enim aedium partem ingens Bibliotheca implebat, aliam inſignes imagines ornabant. Hinc illuſtre aliquid & memoria dignum excerpere domumque referre licuit.

Proſperitate vero rerum ſicut non ad vanitatem, ita nec ad voluptatem uſus eſt. Menſa nitida & frugi fuit, tamen venientibus ſemper cibus in medio poſitus, & benigna invitatio interdum. Caenaque tum brevis ſine exquiſitis epularum ingeniis erat, trahebatur vero & diſtingvebatur convivalibus fabulis, liberalibus jocis, & litterarum honore, quae ſatietatem non habuerunt. Quantum enim rerum, exemplorum, & antiquitatis Noſter tenuit? quibus ſuum & aliorum otium delectavit. Hoc autem vitae habitu, quo etiam ſapientiae ſtudium referebatur, apud animum non facile eſt ſtatuere, utrum melior ipſa res, an meliori exemplo

emplo ageretur. Luxui enim, dulci malo, quō major fuerit, qui indulget, eo latius nocuerit; siquidem exinde minoribus æquati cultus fit certamen, pauperi pereundi, divitique perdendi libido. Et quia vitia ex vitiis nascuntur, simulac, quod oportet, labore suo parce frui, pudori esse coëperit, quod non oportet, exhausta per raptus supplere, honori fuerit. CELSII vero parsimonia nec ipsi pudori, nec cuiquam oneri fuit. Sed quædam etiam virtutes odio sunt. Antiquus hic rigor, cui jam pares non sumus, irrisui & fastidio fuit iis, quibus magnos viros speciosius, quam vere comparare mos est. RECTIUS æstimantes qui adiere, non requirebant fortunam, & quæ extra animum sunt, sed virtutem, & quod sola videtur reverentia, interpretabantur.

Nescio autem, plusne in eo sit laudis, quæ fortuna dedit, ambitiosius quam benigne consumere? CELSIO enim non alius liberalior cognitus est. Pauperum preces nunquam infelices fuerunt: & calamitati, orbitati, viduitati patuit manus sæpe largius, quam pro facultate, tamen cum judicio. Ipsa alienæ necessitatis fama frequenter parentis affectum

affectum excitavit. Latenter vero afflictis opem tulisse, maxima virtus fuit. Alia enim re non propius accedunt homines, vel ad Deum, qui ipse occultus generi humano prodest, vel ad naturam, quæ pretia rerum & metalla in aperto non collocavit.

Quod demum secretum famæ, idem tranquillitati quærebatur, non ob ingenii tristitiam, aut humanitatis, quæ seculum vocatur, ignorantiam (quid enim illius animo lætius, sermone jucundius, & incessu honestius fuit), sed quia compertum erat, in magna hominum frequentia, ut in scena, fictis & adumbratis, in contracta vero amicorum societate, ut in solitudine, veris & sinceris plurimum loci esse. Amicos tamen meruit magis, quam multos habuit. Tanta enim morum constantia inerat, ut, si in malos incidisset, usque ad culpam patiens eorum & ignarus fuerit. Ceteroquin veris pretiis æstimare homines novit. Et ut quisque vita famaque egregius erat, benigne excipiebatur. Sermones tum libro potiores, qui suavitatem stili æquabant. Comitati tamen modus, ut magnitudo sui & fortunæ gravitas re-

tineretur.

tineretur. Nec enim facilitas, quod rarissimum est, auctoritati aliquid detraxit. Si flexu ætatis difficilior cognitus sit, honestius id valetudini & temporibus, quam indoli & moribus tribuitur. Detur autem hæc venia senectuti, ut in ægro corpore mens sana suo judicio cum victoria aut indignatione utatur.

Si qua alia vitia habuerit, iis non credimus, aut ignoscimus. Composita, & in falsum aucta & credita de tanto Viro referri, non miramur. Proprium est ingenii humani, laudes obtrectare & obtrectationem pronis auribus accipere. Etenim sublime quiddam & excelsum naturæ Nostræ insitum est, ut humilem & abjectum libentius, quam superiorem extollat, probum magis vultum, quam ingenium in vita civili spectet, & prospera sibi vindicet, adversa aliis imputet. Præumbrabat vero Celsii ingenium, quod minoribus invidiæ fuit, suique jactantia appellatum est: dominabatur lingva, quæ recti pervicax & repugnantiæ impatiens, ad modestiæ simulationem, ipsa superbia pejorem, se componere nescivit, & offendisse fortunam, quam virtutem non anteposuisse maluit: fatoque

fatoque quodam, non suo consilio acciderat, ut, quod multorum culpa fuit, ipsi uni objectaretur. Hinc materia odiis, & calumniandi principium. Probra vero, promiscue jacta, ne agnita viderentur, moderatione & sapientia tulit, eo facilius, quo certius erat, illa tempore sicut rumores vanescere. Et magnum solatii exemplum suppetebat ex eo, quod multa in cælo sidera nitent, maxima autem sola hebescunt.

Animo autem par corpus etiam Deus dedit. Aderat formæ proceritas, quæ, sicut voluminibus magnitudo, auctoritatem addidit: decor oris plurimum sine verbis significabat: & firmitas totius vitam ultra ævi mortalis spatium prorogasset, nisi morbo insanabili caussas & initium in flore ætatis struxisset medicina, ars salutaris, quæ autem, sicut eloquentia, sæpe plus mali quam boni attulit. Accessit capitis dolor, per intervalla sæviens. Noctes tum insomnes, tormenta, questus, & aliena misericordia. Ingravescenteque ætate desierunt magis hæc valetudinis adversa, quam prospera cœperunt. Angustia enim pectoris & mala tussis in vicem successere, interclusa sæpe anima, mœsta circum familia, luctuque pœne inchoato. CEL-

Celsium jam corpus, nondum animus deſeruerat: & negotia aut litteræ pro ſolatiis fuerunt. Plurimum adhuc judicii & ſpiritus ſupererat, ut oculos Senatus ſubire, & jus ac preces tractare poſſet. Satis etiam memoriæ. Proxima quidem exciderant: vetera autem occurrebant. Tanti eſt, a teneris adſveſcere. Documento fuit ſermo, quem extemporalem quidem, ita autem verbis junctum & ſenſibus validum brevi ante obitum in ſacro habuit officio, ut ſenex videri ceſſaret. Quod vero mortalis in eo conditionis erat, id paullatim & ex natura ſe ipſum confecit. Ut enim lente auctum, ita nec ſubito exſtinctum eſt. Et inveterata compages facile diſſolvebatur. Cum fatalis & ſuus dies adeſſet, febris & Medicus acceſſerunt: ſed in fine naturæ ars deſinit. Momenta deficientis accelerata, nec amplius quinque dierum ſpatio, & renovato in nomen Chriſti ſacramento, noviſſima nuntiata fuerunt d). Veſpera tum erat, nubiloque cælo ſidera interlucebant.

d) d. 15 Febr. 1794.

Exitus autem non proximis ſolum & amicis, ſed obtrectatoribus etiam & inimicis palam triſtis fuit. Abiit enim invidia, vera æſtimatio ſucceſſit, & intellecta eſt Viri magnitudo.

Septimnm & ſeptuageſimum ætatis annum expleverat: temporis ſpatium, ſi ad infirmitatem noſtrorum corporum referatur, ſatis longum, ſi ad naturam ſeculorum, perquam breve, ſi ad rerum vices, ævum putabitur. Vitæ enim fabula, ſicut magnus & verus annus, multos temporum fortunæque caſus & actus exſpectationis, admirationis, lætitiæ, moleſtiæ, ſpei, timoris plenos habuit.

At vero exſequiæ ſine pompa & oſtentatione ductæ ſunt, ut in adverſis decet. Ipſe, cum ſuis conſuleret ſupremis, præceperat, ut terræ, quæ omnia gignit & nutrit, nec unquam ſine uſura reddit quod acceperit, quam primum corpus ſecum ſine apparatu miſceretur. Adeo poſt mortem prodeſſe etiam voluit. Honos ſterilis, operoſus, defunctisque gravis eſt marmor, in tumulo autem quotannis & ſua ſponte flores apumque examina.

Et,

Et, si licuisset, his etiam pietatis sollemnibus interdictum fuisset. Sed non licuit. Utile est posteris, claro sub exemplo præmoneri. Non autem Tibi, Dive Celsi, hæc audire, sed nobis dicere necesse fuit. Statuam tamen non posuimus. Hæc enim magis honestæ mortis gratique Senatus monumentum, quam gloriosæ vitæ & clari hominis testimonium fuisset. Neque enim ignotum nobis erat, quæ saxo struuntur, si judicium posteritatis in vim & barbariem vertit, pro sepulcro sperni. Vita mortuorum in memoria vivorum versatur. Meminisseque tuum nomen, tuaque facta & dicta vere, quod præclaris sufficit, & sine adulatione, nimio & falso honore, prosequi & vulgare, hæc Tibi in animis nostris pulcherrima erit effigies, non ambitiosa & caduca, sed sancta, & mansura cum solo, quod ossa reget, aut tanquam ipsum Numen, quod mentem cœlo recepit.

V. Memoria

ERLANDI SAMUELIS BRING,

Historiarum Professoris.

Credo, Vos, Auditores, mirari, cur in lugubris principio orationis lætari videar. Obiit Erland Samuel Bring a), Historiarum ad hanc Academiam Professor; & sollemnes ut exsequias ita laudes meruerat; neque enim ex promiscuo eruditorum genere fuit. Supremique officii partes ego is um qui suscepi; quamquam non spe obeundi, sed recusandi pudore. Tamen in magni doloris silentio, ad magnæ virtutis commemorationem, sermone vultuque non satis submisso, in medium processi. Casumne tam tristem minus ægre fero? qui illum diligendi hominem tot caussas habui. An eventum

a) Natus est a. 1736 d. 19 Aug., patre Joanne Bring Pastore & Præposito ecclesiarum Ausås & Strövelstorp, matre Christina Elisabetha Lagerlöf.

eventum curæ parentalis non extimeſco? qui Vos judices mei judicii habebo. Unde tum mihi hic animus, in ambiguo confidentia, in turbido tranquillitas? Temperate quæſo lacrimis, pronis accipite auribus, quam mei velim reddere rationem; meusque affectus non venia tantum, verum & laude dignus judicabitur.

Equidem ſcio, nec propria ſolum, ſed aliena etiam experimenta me docuerunt, nihil eſſe conſilio magis arduum aut effectu minus promtum, quam aliquem pro roſtris laudare. Atque haud nihil ambigam, plusne difficultatis habeat, laudes promereri, an laudes dicere? Facta enim verbis æquare, & præclara præclare eloqui, quam difficile ſit, documento etiam eſt hujus facultatis raritas. Plures in quovis alio laudis genere quam in dicendo excelluere. Accedit, quod nullus mortalium repertus eſt, qui inter bona & mala mixtus non fuerit. Sed invidioſum eſt, commemorare virtutes; quippe cum ea humani ſit ingenii ambitio, ut alius prædicationem in ſui diminutionem accipiat. Et inhoneſtum, vitia non diſſimulare; quoniam de mortuis nihil niſi bene.

Diſcer-

Discernatur vero ut temporum ita personarum diversitas: & quæ ornanda nobis proposita est, talis fuit, ut dicentis neque mentem sollicitam neque fidem suspectam efficere possit. Fingenti autem formantique hominem, quem sine specie adulationis aut metu obtrectationis laudare continget, ne voto quidem concipere Nostro meliorem succurret. Nihil enim in eo compertum est, quod idem non palam prædicetur aut excusetur. Tam magnæ virtutes, aut tam parva vitia fuerunt. Et exempli tam honesti facilis erit effigies. Fama est, cum simulacrum sui oris poni vellet Philippus Macedo, placuisse, ut illius altera modo pars pingeretur; altera enim deformis erat. At obsequii tam humilis nullâ hic necessitas est. Vitæ enim quæ imitanda nobis est facies, ea omnis decorà aut quam minime indecora fuit; unde aliquid transire aut velare non opus erit, sed quod dextrum, quod sinistrum fuit, juxta effingere, totumque adversum, non ex obliquo, intueri licebit. Et nitori honestatis quæ humanæ imbecillitatis mista fuit umbra, ea casta & sublustris faciet, ut, quæ illius reperta fuerint plana, & jacentia, ea solidiora & eminentia visuri simus. At, tali modo ubi

nihil

nihil memoriæ præsentis in majus ex necessitate auctum fuerit, nec quicquam in pejus creditum erit.

Ergo, sublatoque ancipiti malo, quod pietatis sollemnia premere aut distrahere solet, animum sumsimus, tam quibus propria, quam quibus aliena existimatio curæ erit. Jam vero, & quamquam sine timore timere non debeo, neque periculum est, ne, cum de Optimo Viro satis dixero, nimis dixisse videar; tamen cum difficile sit, in dolore verbis temperare, Vos, A., etiam atque etiam rogo, mihi, qui imaginem, non oris caducam & fragilem, sed animi æternam & immortalem exponere conor, adsistatis, quid exprimam, admoneatis, quid emendem, indicetis. Hoc enim pulchrior illa & diuturnior erit, quo proprior & verior fuerit.

Vitam vero moresque Defuncti narraturus, faciam, quod magna volumina recensuri facere solent, & præcipua modo rerum colligam; neque enim historiam compono. Tamen historicum imitari debeo, qui de Historico loquar; & magno

lutens

utens exemplo, non quo argumenti opportunitas duxerit, ſed quo facti neceſſitas impulerit, ſequar. Verba erunt pauca, & ſenſu permodeſto. Neque enim minus conſiderandum eſt, quid a vobis audiatur, quam quid a me dicatur.

Itaque ne in orationis primordio aliquid dicam, quod a conſilio, perſona & loco alienum videatur, decora majorum in laudem non vertam. Fortuita hæc, nec ultra æſtimanda. Exemplum modo inde & imitatio honeſti manſit. Neque niſi doctrinæ & virtuti pretium eſt ſtatuendum: quæ propria animi bona ſunt: ſolaque hæc mihi relicta dicendi materia. Adeo prædicanda non eſt ingenii docilitas, quæ naturæ donum fuit, & cujus gratia in ſuum redit auctorem. Nec aliquid decoris inde acquiratur, quod mature cœptum fuit diſcere mores, deinde ſapientiam, quæ ſine moribus male diſcitur. Proſperæ domi fortunæ id fuit, & profectum eſt, non tam a voluntate filii (litteras enim & modeſtiam aſpernatur puerilis ætas), quam a cura parentum, quos indulgentes, & ab induſtria præcipientium, quos intelligentes Noſter habuit. Quam procul fuerit a licentia, juven-

tutis

tutis communi vitio, cui ætas & ratio medebitur, testes sunt, qui interfuerunt, & qui affirmant, neminem minus eo contumacem aut otiosum fuisse. Quo factum est, ut, cum disceret ab eruditis, & viveret cum bonis, inter condiscipulos superior aut melior haberetur.

Qui vero studiorum habitus, quid in ordine eorum & delectu rationi, quid tempori tributum fuerit, paucis differere licet. Mos hic vetus & vulgaris, velle omnia legere, omnia scire: quod tamen consequi arduum, sperare nimium est. Et culpabitur, retinebitur illud vitium, quamdiu ancipites studendi casus & honores fuerint. Sic plures colere disciplinas Nostrum quoque oportuit, ut unius præmium acciperetur. Recti enim conscientia pauperi sola non sufficit. Et fame pro fama perire, nimis grande pretium vitæ fuerit. Studiosi est locupletis, posse secum consistere, certis immorari ingeniis, & in litteris habitare; pauperis vero, alimenta animi sicut corporis ostiatim quasi quærere, & in disciplinis peregrinari, rusticari, hospitari. Ita, quæ philosophiæ sunt partes, etiam Nostrum, futuri ambiguum, per

vices partiebantur. Quæ vero eum possedit, fuit Mathematica: erectum enim ingenium erat. Tamen, & cum subtilior hæc disciplina, quam lucrosa videretur, utilia magnificis miscere, & animum ad jurisprudentiam quoque referre, e re sua fuit. Scilicet putabat, illam artem, ut amicis, ita sibi etiam subsidio futuram. Litigosus est homo, &, sive res sive fama in discrimen vocata fuerit, ad leges decurrit. Adsunt quoque administri legum & caussidici, quibus ut, rebus compositis, nulla spes, ita in turbido consilium, robur & votum est. Nam actor discordiis, sicut flamma sarmentis, nutritur & valescit. Neque tamen superfluum aut parvi faciendum id hominum genus est. Ut medicina valetudini, & gubernatio navigationi, ita jurisprudentia tutamini reperta est. Melius quidem fuisset, non queri quam vindicari. In civitate autem, ubi nulli injuriæ non locus est, innocenti perinde patronus, quam ægro medicus, opus est. Et si præcipua laude dignus est, qui jactatam hieme fluctuque navem in portu salvam collocat, quanti facienda est illius prudentia, qui legem hominemque in judiciis periclitantem servat & tuetur? Ergo non minus pulcrum quam

utile

utile fuit, tanti disciplinam momenti fovere & sequi. Neque, quod in juvene rarum, præceps ingenium erat, sed quo longius a seculi more, quo festinare & improvide agere, ratio, & artes delibasse, non hausisse, sapientia vocatur, eo maturitati & judicio propius. Ampla sunt Academiæ spatia; neque ea minus septem annis, sacro numero, cursu confecta b). Et salutaris hæc mora. Ingenia sicut dies lente clarescunt: & tempore melior ac prudentior hic Studiosus de auditorio in forum descendit.

Hactenus studia in sacro nemore & umbra quasi educata fuerant: supererat, ut adolescerent in media luce campi latioris: quem etiam Junicopia, mox Holmia aperuit. Nostis loci utriusque auctoritatem, quæ rerum, an personarum major fuerit, non dixerim; ipsæ enim caussæ pares sibi judices invenerunt. Et his, illis interesse, adsvefieri, maximopere profuit. Neque enim auscultanti opus erat, nudis sententiis, & definitionum, partitionum formulis, rigidis & exsangvibus, animum

b) Civitate Academica donatus a 1750, Junicopiam, indeque Holmiam a. 1757 profectus est.

mum submittere; sed ad casus eventusque rerum, universæ vitæ communis & civilis facta & mores judicium accommodare, suoque argumento non tam servire, quam dominari licuit.

Inanis vero & speciosa est omnis cognitio juris, sive præceptis in schola, sive exemplis in curia, parta fuerit, nisi facultas accesserit. Et hæc in experimentis versatur fori: cujus itaque ut auditor in urbe fuerat, ita jam sectator per provincias innotuit. Et experiri contentione forensi, quid in utramque partem arguendo aut refellendo posset ingenium, plurimi usus erat. Nam sæpe caussam, eamque gravem, & cum magno adversario pro tribunali agere, artem auxit. Et hæc attulit fortunam, eamque non minus illustrem quam secundam. Etenim non sorte & urna monstratus, sed judicio & consensu electus fuit noster, qui juris studiosos jus apud nos doceret c). Loco autem commendationis erat persvasio, cui etiam eventus respondit, tanto meliora ipsum, quanto compertiora, traditurum esse. Inde etiam fuit, quod, cum non minori fide quam doctrina spectatus esset, pub-

c) A. 1762.

publici consilii participem fieri, atque in Senatu Academico primum alienas & Secretarii d), deinde suas & Notarii e) vices gerere contigerit. Pari modo, & quia par videbatur, sua sponte se obtulit honos, qui a multis tam cupide quæritur, aut qui cupientes eo ipso fugit, quod quæritur; nam sequi, non appeti gloria debet. Sine ambitu Philosophiæ Magister creatus est f). Tamen de ignoto & sine specimine non judicatum est. Præcesserat fama: & quod res erat, id nomen jam accepit.

At studere legibus, ut audivimus, suæ non erat voluntatis, sed ut pareret necessitati, quæ lege caret. Nato enim ad philosophiam, & in gratiam ac beneficia inclinanti animo displicebat ars, quæ libere cogitare & impune errare non patitur, quæ angustis nec nisi patriæ finibus circumscribitur, & quæ inter lites & certamina, sordes & pericula exercetur. Itaque diu in voto fuit scientiæ professio, quæ non minus delectaret quam aleret,

d) A. 1762.
e) A. 1765.
f) A. 1766.

aleret, & in studio historiæ levamen tædii & spes futuri ponebatur. Eo jam necessitatis perventum erat, ut Lagerbring, Historiarum magnique nominis Professor, sed ætate & valetudine laborans, conferre plus Academiæ non posset, quam votum boni Vicarii, mox Successoris; qui autem in republica quæsitus, in domo fraterna inventus est. Et Nostri hæc fortuna fuit g). In tanti autem viri locum venire, si egregium, tam clari nominis exspectationem subire, arduum erat. Inde orta est audax contentio, tamen proba, ut ne ei dissimilis nosceretur, cui ipsum simillimum fore natura voluit. Suum itaque exemplum ut statuam adire, aut quasi speculum intueri, & quicquid amabile, quicquid mirabile inerat, ingenio & moribus exprimere, curæ fuit. Quod vero imitari non licuit, id æmulari placuit. Nam honos etiam est, in secundis consistere. Atque in iis, quæ eminent, magna quoque sunt, quæ maximis proxima.

g) Patrui Vicarius a. 1770, Successor a. 1780 constitutus est, Noster, qui Philosophiæ Adjunctus Extraordinarius a. 1770, Ordinarius a. 1778 creatus fuerat.

ma. Tamen suo altior fastigio Noster videretur, si se sibi vindicare, suæque scientiæ vivere licuisset. Multum vero temporis, & ea fuit lex fatorum, aliud agendo effluxit; quia magnam vitæ partem dialecticæ subtilitas, majorem juris amplitudo, plurimam matheseos sublimitas eripuerat. Igitur honestius, quod historici generis affuit, laudamus, quam, quod defuerit, flagitamus. Miramur potius, quo modo vita, quæ duos & sexaginta annos non excessit, tam amplæ etiam scientiæ tam abunde suffecerit. Nam in singulis ejus partibus laborare, si magni est, totum tenuisse, quanti æstimetur? Nullus locus, neque pax, neque bellum, neque res illustris ei non nota: & quod difficillimum est, familiarum origines & propagines ab ultima earum stirpe ad nostram usque ætatem enumerare, in promtu erat. In intelligentiam vero id cadit, quod admirationem habuit, ubi memoriæ succurrit, laboris quam cupidus & patiens Hic fuerit. Mediocre erat ingenium, sed ipsa mediocritate egregium, atque simile terræ, quæ subacta & mollita plurimo reddit fœnore, quod accepit. Quod enim natura detraxerat, id diligen-

tia,

tia, quæ naturam vincit, cumulate compensav
Continua hæc ipsius instar temporis fuit, & po
otia major. Diem æstimare, nihil in crastinu
differre, & hodierno manum injicere, melius nc
alius intellexit. Cum vero diei partem ad
traxissent interpellatione amici, impetus animi, q
remissus fuerat, eo acrius intendebatur, & hor
celerius vim suam & cursum studia confecerun
Neque tum somni vigiliarumque divisa tempor
Ad multam sæpe noctem studuit: & animo sicı
apricanti læta, ita lucubranti magna obversabar
tur. Nam oculorum avocamentis, quæ lux die
que aperit, liber & solutus, non alia, quam qu
ille cogitans, in opaco & silentio videbat.

Ingenium vero tam acre & laboriosum ne
ingenii operibus sterile fuit. Plura reliquisse
verum vivendi pretium putabat ille, qui non sib
suæque ætati, sed etiam aliis & posteritati se na
tum credebat, Itaque sic egit, ut, cum ipse di
non posset (breve est ævi mortalis spatium), tun
sui documenta animi in perpetuum usui foren
Neque enim hæc, quæ plura in volumina prop
ter magnitudinem & varietatem divisa sunt, tan
quan

quam oris lineamenta, tempus, obscurabit, sed dies illustrabit. Eaque altæ & generosæ indolis novellæ virtutes; quæ autem ut acumine cogitandi adoleverunt, ita lepore dicendi florescent. Et hæc ratio. Inest magna novis rebus materia, nec nisi forma, cui ætas non suppetivit, deest. Speciem vero & pulchritudinem addere, pertinet ad eos, quibus verba magis quam res circumspicere volupe fuerit. Licuit ipsi, qui tantum antiquitatis & exemplorum tenuit, vim elocutionis omittere aut differre. Scribens vero aut dicens h) quo minus lenocinii & artis adhibuit, eo plus fide & auctoritate valuit. Et decebat historicum, ingenio non indulgere, sed temperare, atque ut subtilem in probando, ita modicum in delectando cognosci. Nam in rebus nimium magis, quam parum offendit. Est eorum, qui satis documenti non habent,

12 fin-

h) Regi ADOLPHO FRIDERICO justa funebri oratione a. 1771 solvit, & quomodo natales CAROLI GUSTAVI Principis a. 1784, sic primordia imperii Sviogothici, quod jam exercet GVSTAVUS ADOLPHUS, a. 1797 panegyri celebravit.

fingere, &, ubi res minor fuerit, arcessere lumina, ut in umbra, quam sui fecerit, major appareat.

Quod vero nomen in otio meruit, in negotiis etiam retinuit. Academiæ ut suæ sunt leges, ita sui etiam magistratus instituti, iique annui; quia longa dominatio juxta libertatem, ingeniorum alumnam, periculosa est. Atque illos honores quam honeste iniit, quam bene gessit, & quam gloriose deposuit? Jucunda est consulatus sui recordatio i). Imperium, quod quiescenti & sine gratia oblatum fuerat, ratione æquare, plura provisu & consiliis, quam metu & legibus agere, & placidius, ut tali provincia dignum est, regere, ipsi magnificum, nobis lætum fuit. Neque invidum regimini virtutis fatum. Prospera inceptu, prospera exitu omnia: ipsumque Numen fidei operæque Rectoris annuere visum. Etenim non solum non facinore, audaci & illiberali, sed ne rumore quidem, credulo & fallaci, res nostra turbata est. Quæ pace in foro, concordia in Senatu, reverentia superiorum, & inferiorum obsequio stetit & viguit. Idem

---

i) Academiæ Carolinæ Rector a. 1790 fuit.

Idem decanatus k), minoris & securæ dignitatis, tenor: cujus nec titulum ad rigorem minoribus difficilem Noſter retulit, præeſſe ſuo Ordini magis exemplo quam jure, noſcere ingenia, ſtudia æſtimare, & vitia, non homines, notare, ſollicitus & intentus. Sicut & præfectura ærarii, quod in æde Saturni habuit Populus Romanus, ei ſacra fuit. Quæ enim publica & larga remunerandi, benefaciendi materia eſt, quo latius patet, eo religioſius tuenda ipſi viſa eſt. Bona autem ſeculi recognoſcere facile erat ei, qui numeros ſubtiliter exſequi didicerat.

Sed Academiæ negotiis qua laude præfuit, eadem interfuit. Et dubito, ſi utilitate judicandum eſt, majorne imperii virtus, an obſequii fuerit? Illa nonniſi ter aut quater, hæc ſemper profuit Et quanta fuerit, vos, Patres, optimi teſtes & laudatores eſtis. Nec vero apellem tam veſtram memoriam, nam ea labat, quam quod memoriæ proditum eſt, & manebit in publicis monu-

k) Decanus Phil. Fac. primum a. 1782, iterum a. 1795.

numentis, quæ acta, ſicut ſacræ leges agenda, continent. Perſcriptum eſt, & vero ac honeſto fides, non aliud ingenium ad rationem ut conſulendi ſic parendi habilius fuiſſe. Aderant, quæ Senatoriæ ſunt virtutes, loci, ordinis & modi. Namque in Senatu, quo plus virium frequentia faceret, vocatus ſemper affuit: cum adeſſet, ſententiam, ne aliis præcipere videretur, nonniſi rogatus dixit: & cum diceret, non minus quid alienæ aures pati poſſent, quam quid rei & veritati tribuendum eſſet, conſideravit. Alias ſilentium & modeſtia: quæ ſapientiæ altioris interpretationem habuère. Quæ enim latent, majora putantur. Si quando (neque enim inficiando tollere, neque diſſimulando minuere aliquid volo) adverſus alienam & obſcuram fallendi artem minus cautus fuerit, honeſtis cauſſis, amicitiæ & benevolentiæ, id datum. Quam vero facile ceſſerit precibus, argumento eſt, quod quicquid rogabatur negotii, quantumcumque ineſſet tædii, religioſe promiſit, libenter ſuſcepit, & impigre confecit. Sed eſto, reprehendi, quod meliorem ſequi partem non ſemper in poteſtate fuerit. Quis recti tam prudens, aut ſui tam conſtans? Dux partium, aut novi

novi juris in veteris fraudem repertor ipse nunquam fuit. Ut nihil propter laborem recusavit, ita nec quicquam jactatione appetivit.

Sic munera civitatis obiit, aut in ipsis muneribus excelluit. Sequitur, ut, quæ cetera vita fuerit, intelligamus. Eligam vero, quæ dicam, neque ea, in quibus par ceteris, sed in quibus superior cognitus sit, commemorem. Parvi facere opes & divitias, quæ tanti in commune fieri solent, ut famam, salutem, vitam periclitari beatius, quam non acquirere aut perdere homines putent, sublimis est virtus, tamen supra animi magnitudinem, quæ hujus erat viri, non posita. Magni æstimare ex contrario, quæ nec in vitiis nec in virtutibus numerata, extra hominis sunt animum, infra illius præstantiam judicabatur. Itaque sive plus sive minus erat rerum, pari stetit fastigio: & sicut quod in adversis parum erat, ipsi & sapienti satis fuit, ita quod in secundis superfluum, aliis & afflictis in usum cessit. Et fides ex factis. Primum longa domi inopia fortiter tolerata est: deinde, & cum meliori fortuna agere cœpisset, pecuniam sine fœnore, sæpe sine stipulatione credidit,

dit, aut, quod honestius, fidem interposuit. Loco lucri conscientia beneficii erat. Neque beneficum in sui jactantiam eum fuisse, aliqua suspicio subest. Nam sæpe ex occulto, quod divinum, quibus potuit rebus, auxilio plurimis fuit. Atque majori animo fructus benevolentiæ in silentio, quam in fama reponebatur.

Hæc mirati sumus: quæ eum cetera animi bona nobilitarunt, amavimus. Longe absfuere, ut luxus & avaritia, ita pertinacia & arrogantia, asperitas & tristitia, eruditorum communia vitia, quæ solitudinem & studia, quomodo umbra opacum & corpora, sequi solent. Quid enim visu lætius? quid auditu jucundius? quid more honestius? Oris quæ dignitas, eadem gratia fuit: neque eam tam naturæ quædam bonitas, quam ipse finxerat; modumque cupiditatis & affectus, ut sol caloris & frigoris hic temperavit. Ratio præerat. Mentisque generosæ & bonæ sicut imago erat facies, ingenua & hilaris, ita interpres lingva, nunquam procax & maligna; sed sermo erga alios reverens, de se moderatus fuit. Et congruum, ut, qui factorum, idem verborum innocens esset.

Sed

Sed exemplo opus eſt, & magnum eruditæ humanitatis proferam. Inſita eſt humano generi pervicacia recti, tanto major doctis, quanto inhoneſtius illi, quam rudes erraverint. Et in incerto eſt, ſæpiusne ſibi an pro re ipſa diſputatum fuerit. Omnem vero dicendi contentionem cum perinde ingloriam quam inanem eſſe putaret, ſic ſemper diſputavit, ut par ratione, inferior audendo videretur. Atque pars philoſophiæ id fuit: cujus præceptis ad ſui moderationem, non oſtentationem, utendum eſt. Si quando obſtinatæ fuerint aures, id in re minori, minusque ut ambitionis ſic offenſionis habitura, locum habuit. Animorumque ſic prudens, quod paucis datum fuit, collegarum, inter quos erat ſumma laudis æmulatio, uſum & benevolentiam retinuit. Ut autem vocem vultumque, ſic & victum cultumque non ad vanam ſpeciem ſuique ævi elegantiam compoſuit, ſed hæc & cetera ad decorum muneris & priſci moris ſimplicitatem retulit.

At humanitati ſuus etiam modus eſt, & comitas ſine gravitate non fuit: neque minor auctoritas ſeveritatem, quam caritas facilitatem ſe-

cuta

cuta est. Nam fui etsi non venditator, tamen negligens non erat: & injuria, quomodo levior, & cum rei tantum externæ esset, veniam aut laxamentum habuit, sic gravior & honoris aut officii, animum accendit. Quo autem tardius, eo vehementius commovebatur: & quæ natura est animi mitis, crimen contumeliæ altius insidebat. Nulla tamen vindictæ cupido; sed meminisse & cavere satis fuit. Itaque cum studiorum morumque tam egregia esset temperatio, difficile est intellectu, utrumne plus reverentiæ, an amoris habuerit. Si quid discriminis intercesserit, specie, non magnitudine id metiendum est. Magna erat doctrina: similis probitas: neque minor utriusque in commune æstimatio, quæ homini, non fortunæ, tribuebatur.

Talis fuit persona, quæ nobis erepta est: nomen, & Optimi, tam proprium quam paternum, posteris manebit. Et præstantior est Boni quam Magni appellatio. Multa præclara bonisque imitanda mali quoque fecerunt. Cum vero illos nonnisi propter operas, tum Hunc etiam propter mores laudare fas est. Et titulus Boni, ut

ut non ſuperbus, ita nec invidioſus eſt. Neſcio enim, quo fato ita nati aut inſtituti ſint plerique mortalium, ut meliorem facilius quam majorem patiantur, niſi contemtum odio pejorem eſſe dicendum ſit. Ergo etiam Felix ille appellandus eſt, qui ipſe laudabilis fuit, & in cujus laudem propter virtutem nihil obtrectationi licebit.

Serviit autem magis famæ, quam vitæ; nam valetudinis propter induſtriam usque ad culpam incurioſus fuit. Exinde cauſſas & initia traxit anguſtia pectoris, dicendi magiſtro grande malum, omniqu remedio majus. Illius vero quantacumque vis fuit, tamen impedire ea non potuit, quo minus hiſtoriam profeſſurus, ad auditorium tanquam ad mali remedium animum & gradum intenderet. Mora nunquam nexa, cum in Academiam iret. Spiritum vero in via intercludi, & in limine aut ſaxo revocari, proſpectantibus miſericordiam, ipſi alacritatem attulit. Jam vires, nondum cura deficiebat: diſcendique cupidis prodeſſe cum publice non poſſet, privatim voluit. Hinc autem valetudo ibat in pejus; tamen neque conſilio, neque auctoritate, neque precibus

cibus flecti potuit, ut sibi & labori parceret. Ætatis enim tempora perinde extrema ac media & prima se patriæ debere putabat. Et difficile etiam erat, temperare vitæ, qua se non diu usurum, & quam honestius in studiis, quam in otio se depositurum credebat. Studiorumque hoc præmium petebatur, ut morbi prævalentis adversa minus sentiret, tantisper certe dum animus legendi scribendive curæ intentus erat. Palescebat vero indies, & quod supererat nervi bonique sangvinis, magis magisque se ipsum confecit, donec eo perventum est, ut neque ire, neque stare, neque se colligere posset. Mentis tamen idem vigor: & summa defectio, quamvis manifesta, vultu simulato specieque ridentis tegebatur.

At paullatim si corpus, subito animus eum deseruit. Propere accitus medicus: spirans adhuc Noster: sed statim exanimis ille repertus. Dies vero tum erat festus l), luce prima illustris, cœloque recipiendæ tam sanctæ animæ quasi dicatus; turbatus autem est, primum rumore, mox nuntio, ex-

l) D. 20 Maji 1798.

exceſſiſſe virum, quo non alius melior. Nec quisquam, audita illius morte, propter ſpes privatas lætatus eſt; ſed ut domi lamenta & queſtus, ſic in urbe mœſtitia & ſilentium fuit, aut paſſim auditæ voces interpretantium, quanto pluribus fuiſſet profuturus, ſi diutius vivere licuiſſet. Secutum eſt, quod exempli & humanitatis interfuit, funeris funebrisque laudationis honos. Neque enim ſatis erat amantiſſimæ Conjugi, caſtæ & diligenti, talem Maritum lacrimis & caritatis ſignis compoſuiſſe. Ut illuſtri ſub monumento etiam poſteri præmonerentur, qua via ad eandem gloriam pervenire poſſint, non minus ſollemne & neceſſarium judicabatur. Quam vero carus civitati fuerit, frequentia & mœrore funeris indicatum eſt. Humeris extulerunt corpus Studioſi Juvenes, comitantibus Patribus, & ſequentibus aut antecedentibus Plebejis, qui omnes in dolorem, non doloris imitationem, defixi, animo ſecum revolvebant, illi, quem doctorem, iſti, qualem amicum, hi, quantum benefactorem amiſerant. Atque ſolatium medii temporis ſpatium attulit: & noſtro dolori, noſtro amori hac pietatis cærimonia ſatisfacere contigit. Claram vero & caram

nominis

nominis memoriam non tam laude quam similitudine decorare convenit: gratique hæc animi pulcherrima effigies erit: atque hinc pietatem nostram posteritas æstimabit.

VI. Memoria PETRI MUNCK, Scaniæ Blekingiæque Episcopi, Academiæ Carolinæ Pro-Cancellarii.

Erepta nobis est Persona illustris: nam decessit PETRUS MUNCK, Scaniæ Blekingiæque Episcopus, & Academiæ Carolinæ Pro-Cancellarius. Memoria autem superstes. Et oblivisci si in nostra potestate non fuit, tacere nec erit. Pium fuit liberis, morienti illacrimari, fas amicis, mortuum componere, & honestum Clero, composito justa reddere. Pertinet ad nos, ut vitæ suprema solvamus. Cui autem officio melius oratione, quam imagine

imagine satisfiet. Cadúcus posteritatique jactatus magis, quam intellectus est statuæ honos: verba vero habent sensum, qui literis impressus in æternitate annalium manebit. Itaque Telemacho satis non visum est, Ulyssi monimentum in foro condere. Parentare Patri, & famam per sui memoriam celebrare etiam in voto fuit. Atque nobis inde exemplum, boniquè moris imitatio.

Effingere vero figuram corporis, si difficile, formam animi exprimere, arduum est. Obvia est species oris humani, & quantumcumque composita fuerit, fingenti pingentive parata. Mens vero, sicut Deus, cujus expressa est effigies, in occulto latet: nec studia illius & consilia nisi ex operibus cognoscere, aut conjectura assequi datum est. Sic magnæ rei consilium suscipit, qui tale arcanum vulgare cupit. Adjectumque consilio periculum. Nemo mortem obiir, cujus vita non varie, laudari, argui potuerit. Sed vitæ memoriam prodere, id anceps: proposito sive adulationis, sive obtrectationis crimine. Neque enim deerunt faventes, invidi, qui gloriam sive veram detractam, sive falsam affictam fuisse dicent.

Di-

Discernatur vero personarum diversitas: neque eo, quod mihi oblatum est, timide utar. Intectus erat Episcopi animus: intimosque ejus sensus perspicere licuit. Si quando in lubrico declinaverit, professione veri laudandus nobis aut excusandus erit. Et ne fallentis vestigii momenta (hæc morum fiducia) silentio transmitterentur, inter suprema Præsulis desideria fuit. Neque ea audita, sed scripta, & vice sacræ legis mihi servanda.

Meminisse, quæ Defunctus voluit, & exsequi, quæ jussit, jam nos decet. Scilicet incorrupta fide, sine amore, sine odio nobis dicendus est. Neque dubito, quin Vos, Auditores, attentos & benevolos sim habiturus. Nam multi fuerunt vitæ casus, iique ancipites, spei, timoris, lætitiæ, doloris pleni. Quæ vicissitudo, etsi in experiendo minus jucunda fuit, in audiendo tamen delectationem habebit. Avet animus scire, quem cursum ambigue cœpta habuerint: & ubi bene hæc cessērint, ille gaudebit. Nostri autem Episcopi prospera vel adversa cum omnia complecti non possim, lineamenta quædam & vestigia ostendisse, satis fuerit. Atque hæc eorum initia, hic ordo & finis.

Modica,

Modica, ſed clara fuit origo a). Patrem habuit ZACHARIAM MUNCK b). Et quæ ſua ac Paſtoris erat dignitas, ea media, nec ſublimis, nec humilis, & temperatæ ſanctitatis. Sed magna erat ſui memoria: & quo altius in literas ſe abdidit, eo notior in ore famaque fuit. Solitudo & celebritas. Sic dignus eſt viſus, qui Scientiam Orientalem & Græcam apud nos profiteretur: verus honos, & ſine ambitu paratus: qui vero non oblatus fuit. Bonæ famæ, quam magnæ ſtudere maluit. Et hæc fuit ratio. Pallentes eruditorum curæ; dulces vero ruri Muſæ: & nulla in ſecreto niſi ſecum contentio. Sed turbata fuit ipſius tranquillitas: ortis ingeniis, quæ rudes vulgi animos ſollicitarunt, eo violentius, quo plura fingendisque virtutibus ſubdola. Juxta erat ipſorum religio & ſuperbia: palam compoſita pietas: intus meditatæ libidines. Et ingens hinc dolor homini, cui ſollemne Patriæ, fas Populi Svecani, & veritas Sacri Chriſtiani curæ erat. Levamentum

a) Natus A:o 1732. d. 3 Julii.

b) Pastor utriusque Paroeciæ Scanensis Ljungby & Gualöf.

vamentum vero mali e complexu officii petebatur. Et spes, quam filius sui fecerat, plurimum quoque solatii attulit. Præclara erat indoles, par docilitas, nec minor industria. Et (quod dictu mirum) quæ res animo puerili in fastidio esse solent, huic in amore fuerunt. Nam literæ & studia magis, quam licentia dierum & discursus placuerunt. Nec umquam minus otio indulsit, quam cum otiosus esset. Quod temporis conceditur aliis ad ludum, pilam, & cetera inertiæ blandimenta, in sapientiam vertebatur. Atque effingere aliquid, cujus brevis non foret voluptas, animus fuit. Testes sunt conciunculæ, quas per intervalla requietis elaboravit. Et quanta spe futuri?

Vitæ hucusque & rector & magister Pater fuerat. Neque enim ingenium tam illustre in aliena inscientia vel negligentia periclitari voluit. Mature autem decessit c). Et suam ac mariti vicem Mater implevit. Hæc CATHARINA SOPHIA WINDING d). Neque alia femina moderandi magis prudens. Honeste enim vivendi non minor, quam

c) A:o 1741.
d) Filia Præpositi & Pastoris WINDING.

quam optime discendi ratio ei visa est. Si autem intra privatos parietes virtuti, in Scholæ frequentia sapientiæ melius consulitur. Nam in secessu minor quidem peccandi, in media autem luce major æmulandi materia & occasio se offert. Quapropter ut, sublatis utriusque incommodis, solis commodis serviretur, in nostram urbem concessit e). Atque ut studiis pædagogus f), sic ipsa moribus præfuit.

In honestissimo autem conventu non longa fuit mora. Privato præceptori tradebatur filius. Ratio autem in occulto. Tamen, neque amplius biennio, animus sic languescebat, tumescebat. Neque enim in solitudine majores aut meliores vidit, quibus se conferre posset. Aditus ad Academiam patuit g). Et generosus spiritus, quomodo nobilis equus, campo & spatio gaudebat. Jam non uni parere oportuit, sed per plures ire licuit. Et diversis in subselliis parta multiplici doctrina, id, quod res erat, jam nomen accepit. Philosophiæ

e) A:o 1742.
f) Magister Borup.
g) A:o 1745.

Magister dictus est h). Neque hic titulus in desidiam vertebatur. Eodem anno sollemnia imperii Svecani capesserant ADOLPHUS FREDERICUS & LOVISA ULRICA: atque spem patriæ,ut prima provenere, sic & cetera fore, pro rostris & latine hic interpretabatur.

Honoribus initia jam fortuna struebat. Caussas sua virtus subjecerat. Neque enim sorte, quæ cœca, sed judicio, quod rectæ fuit æstimationis, in tantum eminuit. Et qui spatia, quæ petendis honoribus statuunt leges, implevit, is ambitu aut pecunia irrepsisse non judicabitur. Sic in penates Academiæ illatus fuit. Atque literas, quibus a puero deditus fuerat, Orientales & Græcas docendi venia data i), velut subdita face, magnum aliquid agere gaudebat. Sed foras prominebat erectum ingenium: & adita primum Holmia k), deinde Upsalia fuit l). Neque minoris æstimatum, ingenia hominum, quam ulteriora literarum cognoscere. Et egregius utrimque, præceptis & exemplis,

h) A:o 1751.
i) A:o 1752.
k) A:o 1755.

plis, ſic in una urbe pro roſtris diſputavit, & in altera pro ſacra concione dixit, ut eum utraque ſuum vindicaret. Videlicet vocatus fuit, primum, qui Politicæ ſtudioſis Upſaliæ intereſſet, deinde & pluries, qui Templi Primarii ſacris Holmiæ præeſſet. Magni autem animi ſpecimen hoc loco proferre juvat. Inſigne ſui experimentum m) dederat: quod tamen Upſalienſi & cenſoriæ ſeveritati anceps viſum fuit. Magnis vero conatibus opportuna audacia: & ſi humi repens a lapſu tutus eſt, generoſus & fortis inter periculoſa inclareſcit. Clauſtra Noſter fregit, & quod ſperavit ex aliis, ſibi ipſe præſtitit. Publicandi operis venia publice petita & impetrata eſt n). Sed ſeriem interruptæ orationis repetam. Integra ſui ingenii, ſuæ virtutis in Metropoli & Metropoli proxima urbe opinio erat; ipſi autem glorioſior, quam

l) A:o 1745.

m) Dissertatio de jure Devolutionis, adolescentiæ rudimentum, paucisque diebus positum, ea tamen vi ingenii, & eruditionis copia, ut palam & ab exteris prædicaretur.

n) Collegii Regii, cui a Cancellis Nomen, consensu in lucem hic libellus prodiit.

quam utilis. Oblatas tum & postea sibi dignationes deprecabatur; nec tamen, quasi minores putasset: quod ambitiosum fuisset. Menti occurrebat solum, in quo natus, & cœlum, sub quo educatus erat. Et terra, quam Matrem appellamus, sua caritate movit, ut hunc locum condendæ in posterum fortunæ sedem sibi eligeret. Propitiumque fuit Numen: neque Numinis ille immemor. Dignitati Professoriæ, sed Sacræ adjungebatur, sacris etiam ipse initiatus o). Stipendium p) quoque additum, sed minus suffecturum. Tamen magna facti gratia. Neque enim legi, quæ victa est, sed virtuti, quæ legem vicit, beneficium stetit. Atque ut doctrinæ, mediocritatem supergressæ, nec nomen deesset, novum & Theologiæ Doctoris adjectum est q); quo autem nescio annon distinctius, quam paterno cultus fuerit. Etenim hoc gentilitium & cognationis, illud ipsi proprium erat. Sed diligens, qui pauper. Et inde caussa fuit & origo tot libris & libellis, qui caduci, ut ipse, non

o) A:o 1757.

p) Scilicet quod ex Parœciis Hellestad, Dahlby & Bonderup rediit.

q) A:o 1769.

non occiderunt r). Si vero habitum cultumque ſeculi, quod ambitioſe humanitatis vocatur, non referunt; neque de auctoris ingenio, quaſi idem aſſequi non potuerit, nec de ejus animo, quaſi noluerit, male exiſtimetur. Vultus ut hominis, ſic mentis & ſermonis, tempore mutatur; &, pro varietate ingeniorum, jam ſimplex & directa, jam ſubtilis & quæſita cogitandi dicendique ratio placet. Tamen nec deteriora, quæ diverſa: & ſi differunt ſpecie, genere conſentiunt. Uſui etiam ſufficiunt, quæ minus ſplendida, tamen firma & duratura.

Pro-

r) Marci Wöldike Compendium Theologiæ Theticæ cum Notis Dogmaticis & Polemicis ab auctore insigniter auctis & emendaris.

Compendium Theologiæ Bibl. Novi Testamenti.

Quæstio in sollemni Theol. Doctor. Promotione a. 1768. recitata & duabus vicibus in Linguam Svecanam versa.

Disputationes Centum & viginti octo.

Conciones Holmiæ & Alibi babitæ.

Propriis autem curis alienæ intervenerunt; quæ horas per vices partitæ sunt. Et partes jam unius jam alterius Professoris s) Noster excepit. Nec aliud ingenium ad plura habilius, ut capax, sic velox. Faciliusque fuit agere multa, quam uni immorari. Qua autem varietate, ut stilus lectione, animus requievit: et quæ in suscipiendo alacritas, eadem in conficiendo celeritas fuit.

Qua autem vi & subtilitate, luce & brevitate, gratia & utilitate, seu meditata seu subita proferret, argumento satisfecerit, Vos, Patres, religiosi testes mihi eritis. Et jurata vestra fides. Meministis, Nostro verba præeunte, attentis & pendentibus plenum semper auditorium fuisse. Quod vero intentum & cupidum ulteriora audiendi silentium, non officio, sed ipsi tributum est. Nam obliti nec estis, auditorum plurimos, ut vocem vultumque ad illius exemplum conformarent, certatim studuisse. Tantum auctoritatis & nominis erat. Unde & parentum in commune fuerunt vota, ut hujus potissimum doctoris consilio in

s) Primi, Secundi, Tertii Theologi.

in negotiis, & opera in ſtudiis ipſorum filii uterentur. Quo modo & iidem, ubi quid agendum eſſet, non alio plus duce confiſi ſunt. Docendi autem ingenio magnificus, haud minor examinandi laude Noſter viguit. Pondus propoſitæ & magnæ quæſtionis excipere, vel mediocriter erudito fuit expeditum. Ea enim electio erat rerum, is ordo verborum, eaque planitas ſententiarum, ut res abſtruſas & in ambiguum implicatas quaſi oculis cernere, & animo præcipere licuerit.

Suæ autem ſortis is demum orbis fuit, ut vice aliena functus, ſuam præſtaret. Literaturæ Orientalis ac Græcæ Profeſſor creatus eſt t). Qui autem honos in voto primus, ſerie tamen cauſſarum noviſſimus non fuit. Intererat rei publicæ, ut qui ordinis Philoſophici ultimus eſſet, ille Theologici tertius u), & mox princeps x) fieret. Et reipublicæ ſic capeſſendæ par fama & tenor. Quæ in interpretando fides, eadem in commentando prudentia, & in concionando gravitas ſervata

---

t) A:o 1769.
u) A:o 1775.
x) A:o 1778.

vata est. Neque enim aut novi & ardui pro rostris repertor, aut tumidi & immodesti in suggestu venditator fuit. Quæ autem reverentia majorum auctoritati, judicio & maturitati constitit. Tristis & rugosa antiquitas: sed agentem ratio ducit. Suæ e contrario ætatis ingenia quo pulchriora specie, eo majoribus illecebris ipsi visa sunt periculosa. Nostroque inde metus & animus, tam cui religio, quam cui jusjurandum sacramento fuit. Verebatur, ne quæ quisque de sacris senserit, ea omnia dicendi libertas in licentiam erumperet. Tantoque minaci conscientiæ ac vulgi turbamento suam fidem & vocem opposuit. Alieni autem judicii æstimator si quando acerbior cognitus fuerit, offendisse, quam rei divinæ opem non tulisse maluit. Nec sui nisi ex persvasione veri pervicax erat. Etenim sapientiæ modum tenere, etiam difficile est. Pace autem frui, si gratius, tamen melius non fuisset. Mens, quæ quietis friguisset, controversiis crevit & viguit. Quo autem sæpius steterit in acie, & quo major adversarius, tanto latius in ore hominum egit, quorum ea est natura, ut secura nolint. Sed ar-

dorem

dorem ætas & ratio mitigavit. Atque ubi celebritati consultum, etiam quieti satis fuit.

At fortunæ nondum satis tributum. Ingenii ut non medii erat, sic dignus est visus, qui suum Ordinem duceret. Episcopum fieri Clerus voluit, & Rex jussit y). Magnus honos, sed par periculum. Quod enim eminet, id injuriæ maxime opportunum. Arbores, tecta, cetera, quæ in sublime tendunt, ferit fulmen: nubesque juga insedit. Ita nec aliquid magna hæc fortuna habuit, quod non invidiæ patuerit. Nam locus ut hinc adulationi, aut, quæ ipso odio pejor est, simulationi, sic inde livori & obtrectationi non defuit. Proprium est ingenii humani, primum fallere, deinde irridere. Invisoque semel superiore, seu bene, seu male facta juxta premunt. Recteque factorum gratiam quisque sibi trahit, & unius invidia peccatur. Hoc potentiæ fatum: quod nec Noster effugit.

Sub ambigui vero muneris auspicia de sacerdotali disciplina in commune consultum est: neq

seg-

---

y) A:o 1794.

ſegniter, quæ res ſuæ erat poteſtatis, inſtitutio ſcholaſtica in deliberationem cecidit. Placuitque, ut, qui ingeniis juventæ moribusquæ vulgi præfuturi eſſent, comperto, quid boni, quid mali in iis ineſſet,id quotannis ad Senatum vel Præſulem deferrent. Nova, nec iniqua hæc decreta. Sic fiet ſæpe, quod una tantum vice fieri ſolet. Neque enim viſendæ iterum & tertium diœceſi vita Epiſcopi ſuffecerit. Quis autem ſtatus templorum, qualis habitus Scholarum, quæ mens hominum ſit, ſui cuique loco Præfecti, quo propiores, eo melius cognoſcent. Ceterum, quo judicio, quo amore artes moresque complexus ſit, documento erunt crebri ſermones, quos cum Patribus de condendo Gymnaſio habuit. Neque ad conformandam ſibi & patriæ juventutem aliud inſtitutum utilius. Nam periculoſus eſt e Schola in Academiam tranſitus. Quocirca inter ſumma ac præcipitia, unius ſervitutem & alterius libertatem, ſpatio quodam medio eſt opus, ut paullatim deſveſcat animus humili obſequio, ingenuoque pudori inſveſcat. Sed ſtudia facilius quis oppreſſerit, quam revocaverit.

Manifeſta, quibus rem tali modo & in ſeceſſu reſtitueret, conſilia: neque ambigua, quam pro

re

re in Senatu misit, vox comperta. Aut non recte judico, aut non alius in referendo simplicior cognitus est. Orare caussam, non fas, non jus esse credebat. Rem enim pejorem sæpe meliorem eloquentia fecit. Quæ itaque Lacedæmone expulsa, & Athenis in judiciis recisa fuit. Atque inde, quæ coram Patribus agerentur, non longa præfatione, & alte repetita narrationis serie affectibus immiscuit, sed clare & breviter rationi commendavit. Senatorii autem officii quomodo prima hæc pars, sic senatusconsultum pari celeritate expedire, suprema fuit. Etenim mora ut consilia valescunt, sic decreta vilescunt.

De cetero quam moderate habita sit sua jurisdictio, illustri specimini hoc nobis erit. Concessum est Episcopo, discordi Senatu, Senatores pro lubitu legere. Rem vero, quæ arbitrii erat, fore judicii voluit. Obstrinxit Patribus fidem, se non alios, quam qui fuerint in urbe, lecturum: raro exemplo, aliquem de suo jure cessisse. Quam & laudem juste agendi amor cumulavit. In iis autem, quæ ad judicem pertinent, si quando aliquid humani passus sit: quis sui tam constans

fuit,

fuit, ut in tot humanis erroribus sola innocentia vixerit? aut legis tam observans, ut instar legis surdus & inexorabilis, caussas semper, non homines spectaverit. Nec tamen, & quibus plurima fides, desunt testimonia, perpensis officiorum momentis, nec sine periculo offensionis, ingenia distinxisse eum & elegisse. Quo autem discrimine & delectu, si in rebus, quæ mediæ, nec bonæ nec malæ fuerunt, semper non usus sit, id neque in laudem, neque in dedecus cessit. Si vicissim, & ubi jus fuit opus, fuerit gratiæ locus, fuerit beneficio, misericordia pro ratione stetit. Inopia plus apud eum, quam amicitia, inimicitia, valuit. Mollis erat animus, nec fonti perlucido dissimilis, quantæcumque imaginis ut facile capax, sic commotior. Motusque specie tristium, quæ acrius, quam læta sensus afficiunt, inscius, invitus, quo impulit vis afflictæ humanitatis, ille sequebatur. Tamen invicti, & quem nec preces nec lacrimæ vincere potuerunt, exempla prodita: quomodo suppetunt, quæ, nihil venale in eo fuisse, probant. Et si quid muneri missum, id sæpius remissum, nec umquam, nisi aucupandi favoris suspicione caruerit, acceptum fuisse, affirmatur.

Sic

Sic magiſtratus meruit, iniit, geſſit. Ut autem ſama apud exteros, ſic & gratia apud Principem, & auctoritate apud cives valuit. Stella Polaris, multis quæſita, huic reperta eſt z). Neque vana ſpecies, meritorum quæ vim referret. Suoque etiam Ordini quanti viſus fuerit, monſtratum eſt ſuffragiis, quæ tulit, ubi de jure ſive divino ſive humano in publico ageretur aa). Atque videns, quæ ſcripſerat, ea domi forisque typis reſcribi, poſteritati interfuit bb).

Intentus vero ſi fuit, cum vera & falſa diſcerneret, & gravis, cum jus & fas tractaret, humaniſſimus innotuit, ubi officio ſatisfactum. Neque enim, quod in hac fortuna rarum, arrogans minoribus, aut inter pares difficilis fuit; ſed depoſi-

z) A:o 1800.

aa) Concilio Upsalienſi adfuit A. 1793: & Comitiis in Gefle & Norrköping A:is 1792 & 1800.

bb) Nova editio libri memorati, quod Wöldike Compendium Theologiæ Theticæ inscribitur, cum notis ab auctore adjectis & emendatis Haffniæ ac Lipsiæ prodiit.

posita, quam civitas imposuerat, severitatis personа, suam & quam natura aptaverat, facilitatis suscepit. Promti fuere aditus: comis congressus: & sermo facetus ac urbanus. In publico autem modestia & silentium, ne aliis præcipere videretur. Tamen nulla secreti formido. Ut nihil in sui jactantiam, ita nec quicquam in alieni contemtum fuit quæsitum. Et ambigam, annon usque ad culpam civile ingenium fuerit. Periculum erat, ne quid auctoritati tanta facilitas detraheret. Nam magnitudinem viri specie metiri plerisque mortalium mos est. Nostro autem viso, pompam, elegantiam, & cetera, quæ extra animum sunt, multi requirebant; quæ in recessu erant, pauci interpretabantur. Quæ vero magna sunt, non tument.

Virtus vero virtutem gignit. Ut non superbe, ita nec cupide egit. Et fides ex factis. Gratis non sapuerat. Quanti enim ei non constitit, quod novit? Tanti tamen fuit, vicariam aliis operam polliceri, ut operæ pretium in sola conscientia reponeret. Et auctu muneris non auctæ opes. In prosperiori fortuna ille non

ditior.

ditior. Prodige tamen non vixit. Neque enim alius domo & paratu minus fuit speciosus. Recisis vero, quæ in luxum reperta sunt, ad beneficentiam dextra patuit. Et sæpe, quem æquo jure complecti non potuit, illius inopiam ex arca levavit. Neque hæc accepi, audivi, sed vidi, interfui. Præcipui vero ut caritate, sic & munificentia liberi fuerunt. Et his proximæ sua Mater & Soror: quarum & necessitatibus subvenire, necessitudini religiosæ tribuit. Aliis, non sibi prodesse, hoc desiderium, hoc lucrum. Usu enim, non possessione gaudebat. Atque incertum, plusne fastidii, an cupiditatis pecunia ei fecerit. Pro argumento est, quod soluti acceptique rationes nec ipse inire, nec initas ad calculos vocare voluit: ita ut credere fas sit, pretia rerum & metalla, ut cetera mortalia, infra animi magnitudinem fuisse.

Animus vero, qui facile conciliabatur, nec difficulter reconciliabatur. Ut lente non odit, sic nec odia in longum jecit, ut aucta promeret. Dicta dictis reprehendere, & statim, satis fuit, aut loco reprehensionis pœnitentia suffecit. Injuriæ vero altius penetrabant; tamen non implacabiliter.

ter. Compertum est, publico eum bono graves offensiones remisisse. Qui autem inique læserat, satis in sua conscientia pœnæ. Sed ingenio ut pronus ad gratiam, sic præceps in iram fuit. Ex iracundia tamen nihil supererat. Conferre mala, interpretandoque accendere, est eorum, quos natura aut vita ad tristitiam ingenii composuit. Noster hilaris erat. Hilaresque quomodo tristis odit, ita hic amavit. Usu itaque & consvetudine juventutis jucundissime tempus transactum. Neque enim, quæ juvenili ingenio propria sunt, spatia & cursus, gaudia & strepitus tædium sui fecerunt. Ut placida omnia & ordinata senectuti convenire, sic confusa quædam & quasi turbata juvenes non indecere visa sunt. Qua autem mente, qua vita cui ætati carior fuerit, incertum. Sui vero ut non obtegens, sic nec dicendi semper prudens cognitus est. Quo factum est, ut arguerentur verba, dum factorum innocens fuit. Ceterum cum adulandi etiam nescius esset, dictu haud facile erit, totne amicos habuerit, quot simplicitate sua & liberalitate meruerat. Sed male ambitiosis sic displicens, bene moratis placuit.

præ-

Præclara hæc, quæ in publicum protulit: neque minora, quæ limine tenuit. Multis illustribus dedecori fuit male ducta, & pejus habita conjux. Huic vero matrimonium in honorem cessit. Neque id semel. Nam nuptiarum sollemnia bis celebravit. Et si Maximo Pontifici deligenda sit uxor, ne voto quidem concipi poterit melior iis, quibus hic nupsit cc). Nota est Bringiana & Rosenbladiana virtus, sacri conjugalis observantia, & obeundæ rei domesticæ cura: quod bonum gentile in suum & familiare vertere contigit. Sicut Rosenbladiani quo diuturnior usus, eo carius culta illius memoria. Magnasque reliquit caussas & desiderii & doloris. Nam virginalis verecundia cum puellari svavitate, & matronalis gravitas cum anili prudentia inerat. Nec aliquis fuerit, quem non commoverent verba, quibus in hac femina mistas plurium ætatum virtutes Noster laudavit. Et vinculum amoris experta fœcunditas firmavit. Suscepti quatuordecim Liberi. Duo Bringiani

 pretia

cc) A:o 1765 Anna Christina Bring, & A:o 1769 Ulrica Eleonora Rosén, ei juncta fuit.

pretia matrimonii fuere. Sex autem defuncti dd): nec nisi decem supremo Patris honori superstites ee). Atque, quomodo læta fruges in flore non periit, sic sua etiam novitas enituit, parta Familiæ nobilitate ff). Qui vero natalium splendor si fortuitus, nec nisi propter Parentis merita æstimandus censetur, id pulchrum est & singulare, quod magno in numero nullus degener. Tanta in stirpe indoles, aut tam intenta educandi disciplina fuit! ita ut sit in ambiguo, utrum ad recte vivendum plus conferat, bene institui, aut feliciter nasci. Sic clarus foris, haud obscurior domi fuit, notamque mali mariti titulus boni civis non subiit.

His

---

dd) Elisabeth Sophia & Zacharias Justus Bringiani conjugii proles. Marg. Ulrica. Christ. Eleonora. Superintendent. Fahnehjelm juncta, & Jacob ad Cœlum rediere.

ee) Eberhard Zacharias, Petrus, Margareta Ulrica, Mathias, Johannes, Gabriel, Maria Frederica, David, Brita Catharina & Nils Elof nobis intersunt.

ff) Nobilitati insertum Munck af Rosenschöld nomen.

His & talibus gestis & moribus excelluit noster Episcopus aut defecit. Neque ullus mortalium repertus est, qui inter bona & mala mixtus non fuerit. Si quis tamen pejora interventu meliorum pensarit, vere æstimantibus hic Bonus fuit. Qui autem titulus, quo longior ab ambitione, eo minus invidiæ sustinebit.

Ætate vero, prima studiis, & media negotiis transacta, extrema aderat. Et valetudo in pejus ire cœpit. Quæ tamen semper bona fuerat; nam animo par corpus Deus dederat. Neque socia studiosi otii mala ei fatalia: quomodo nec acies oculorum auriumque obtusa, aut insigne senectutis & cæsaries festinata fuit. Gravissimus autem est morbus, qui a capite diffunditur: & hoc tremulum spiritus diu non duraturi omen fuit. Quod eventus docuit. Ex improviso corpus, animus defecit: & ingens hinc pavor, ac pæne luctus. Nam creditus est mortalitatem explevisse. Jam properata, quæ recreandæ defectioni servirent. Sed remedia malis tardiora: & quæ rediit anima, haud multo post exstincta est. Crevit indies pallor oris; idem tamen animi vigor, neque negotiis impar.

impar. Viresque spes ac religio addidit. Neque ulla opis humana defuit; & languescenti mollities cœli ac salubritas aquarum quæsita est. Quod autem fato manebat, consilio vitari non potuit. Iterum stupore, mox sopore correptus, sine dolore, & assidente foventeque Familia, exspiravit gg) hic Episcopus, vitæ & mortis genere felix.

Supremis posthæc honoribus consultum: & amplum, sed acerbum fuit funus. Magnum quidem solatium ex necessitate: & qui septuaginta annos vixit, ex natura obiisse visus est. Obiit vero magnæ Familiæ, procul a domo, & loco, qui tot aliis saluti fuit. Quibus ex caussis tamquam immatura mors defleta est: si fas fuit flere, aut mortem vocare, quæ non tam finis vitæ, quam immortalitatis initium fuit. Mite vero doloris levamen erat in ratione, qua spei liberorum & fortunæ Pater prospexit. Si patrimonium spectetur, vix mediocre est: si virtus, ad quam soboles imbuta est, ea magna. Omnique patrimonio præstantior hæc hæreditas. Si quid adhuc defuerit, id suppeditabunt ultimæ Parentis, nec irritæ

futuræ

gg) D. 18 Jul. 1803.

futuræ preces, quibus ſuos liberos, jam ſingulis, jam omnibus commendans, coram Deo & Patria, oravit & rogavit: "ſi quos propinquus ſanguis, ſi "ſui memoria, ſi fides movet, ſpectate numerum & "ætatem, ſuſcipite, regite, fovete".

Sollemne vero funeris excepit funebris laudatio. Neque dicenda eſt lamentatio, quæ vitæ per præclara & honora actæ imago fuit. Eaque ſuis moribus, non alieno artificio, expreſſa. Nihil oratorie ſimulatum aut diſſimulatum fuit: fingendique tempus defuit. Argumentum tenere, æmulari, imitari, proba nobis fuit contentio. Atque honeſtior veri, quam ſpecioſi ſollicitudo: neque enim credendum colori. Si vero, qua uſi ſumus, dicendi ſpecies impolita & rudis exiſtimata fuerit, ſatis nobis erit, ſi ſui faciem exempli reddiderit. Etenim cœlo receptæ menti quo propior, eo pulchrior effigies. Atque inde de ſua virtute & noſtra fide judicium poſteritas faciet.

VII. Panegyricus Divo CAROLO LUDOVICO, Principi Hæreditario Badensis Imperii.

Silere in publico funere, ſi aliis inhoneſtum, nobis nefas eſſet. Quid enim tam commune, tam ex æquo eſt, quam ut, qui, quid in rebus verum ſit, ſcrutantur, iidem, quid in perſonis magnificum fuerit, eloquantnr? Scilicet magnæ virtutis ut magiſtra & teſtis, ſic nuntia & interpres debet eſſe, quæcumque literarum in orbe terrarum ſedes, Schola, Gymnaſium, Academia habetur. Et publica hæc ſilentiique impatiens exſpectatio nos jam circumſtat.

Obiit CAROLUS LUDOVICUS, Princeps Hæreditarius imperii Badenſis: honorique ſupremo ſupereſſe, ſi quem populum, certe Svecanum decet. Conjunctiſſimæ civitatis hæc pietas erit. Nam Ille Pater erat REGINÆ FREDERICÆ DOROTHEÆ WILHELMINÆ, quæ Optima Optimo Regi GUSTAVO ADOLPHO juncta,

juncta, patriæ jam MATER eſt. Atque in ſinu AUGUSTÆ obitum deflere, ſi doloris interfuit, vitam moresque pro roſtris laudare, exempli referet. Diſcent illuſtri ex documento præſentes & futuri Principes, qua via & ratione tantumdem bonæ apud poſteros famæ mereri poſſint. Neque ſatis fuerit, Defuncti ſimulacrum ære aut marmore fingere & dedicare. Nam oris ut lineamenta, ſic imitamenta pereunt: multaque veterum, quæ ſua ætas poſuit, monimenta, tanquam ignobilia, barbaries demolita eſt, aut oblivio delevit. Reſtrictus præterea & unius loci, mutus & elinguis, operoſus defunctisque gravis hic honos eſt. Qui vero orationis aut carminis eſt, ille virtutis excellentis non tam imago, quam animatus quidam, & repercuſſu longe lateque plenior, concentus dicatur. Ceterum, quod mirum, tot fere ſunt vocis, quot animi mutationes; tamen hæ perennes. Et contra fas fuiſſet, ſi, quæ formam mentis reddit, ejus naturam non referret, ſi, quæ immortalis animi index eſt, ipſa mortalis eſſet. Sic quo loco Achillis & Miltiadis eminuerunt effigies, vacuum cœlum ſolumque eſt: quæ vero ſui apud Scriptores memoria eſt, ea poſteris tradita, ſuperſtes erit.

Atque

Atque inde vetus eſt fama, Ageſilaum neque fingi neque pingi ſe paſſum fuiſſe. Qui vero Xenophontis in laudando illo Rege unus eſt libellus, omnes omnium ſtatuas & imagines facile ſuperat. Sed talem componere, magnæ artis & eloquentiæ eſt. Tamen ego, & neſcio, quo meo & Academiæ fato, in medium proceſſi. Neque enim dicendi profeſſio mea eſt. Oblatum vero jam mihi eſſe credo, quoniam, quæ tractanda nobis eſt Perſona, eloquentiæ parata eſt. Genere & ſpecie ipſa laudabilis fuit (tantum aviti & ſui decoris inerat): & ſatis facunde dixiſſe, ſi ſatis fideliter narraſſe videbor. Hæc autem fidei & induſtriæ, non artis & ſcientiæ, opera erit. Ad id itaque mihi pro ſe quisque Veſtrum, Auditores, precor, intendat animum, ut exempli, quod ſimilitudine exſcribere conabor, tractus ductusque omnes per ipſius veſtigia ſequar. Quo enim propior, eo pulchrior noſtra illius imitatio futura eſt. Et magna nobis gratulatio, ſi origini ſuæ ſimilis cognita fuerit: magnus pudor, ſi diſſimilis. Quoniam vero ultra verba & voces non peccabitur, ſtudium noſtrum, ſi minus laude, tamen venia dignum judicabitur.

Jam

Jam vero de Principe, quo non alius melior, dicturus, magnopere lætor, quod, ut præfari licuit, in hoc honore ſine periculo verſabor. Neque enim, quæ acute inveniendi, apte disponendi, & varie figurandi eſt difficultas, me ſollicitum tenebit. Ut res, ſic verba in promtu erunt: & memoria, non ingenio opus. Eligam vero, quæ dicam; quippe cum vitam prope ſemiſecularem (hoc ævi mortalis ſpatium fuit) unius horæ decurſu narrare debeam. Et quæ elegerim, ſic diſtinguam, ut, antequam vitæ ſuprema perſequar, prima illius & media complectar. Tali enim modo, & per ſingula eundo, totius amplitudini melius conſuletur. Ut autem diſtribute, ita etiam proprie loquar. Neque in diſcutienda hujusmodi ſcena, quæ tot actus tantasque actiones conſiliorum & temporum, veras & ſolidas, habuit, ſpecioſis & adumbratis locus fuerit. Splendor itaque natalium in claritatem non vertendus. Nam fortuitus hic fuit: & qui per alienam virtutem oblatus eſt, ulterius non æſtimatur. Atque decus ex majoribus anquirere illi, qui ſatis ſibi nominis, ſatis poſteris nobilitatis peperit, ſuperfluus honos eſſet. Non genus, ſed ſpecies, non titulus, ſed res, non

ordo,

ordo, ſed ratio eſt id, quod diſcriminat. Et in incerto eſt judicium, neceſſitatene quadam immutabili initia noſtri volvantur: comperto, quemadmodum dies, ſic homines, claros, obſcuros oriri. Delectus vitæ & honeſtas in noſtra facultate ſunt: cetera fors regit. Divinique cauſſas ſecreti reverentius ignoramus, quam inveſtigamus. Tam neſcire quædam, quam ſcire nos oportet. Et ſic in Cœlo, ita in terris, auctoritas Rectoris, & diſciplinæ rigor ſe habet, ut parendi magis amore, quam juſſa ſciſcitandi cupidine regimen virtutis contineatur.

Utcumque vero hæc animadverſa aut exiſtimata erunt, permagni refert origo: neque minoris intereſt, quo loco quis natus, quam quo ſolo cœloque quid ſatum fuerit. Atque ubi alta majorum virtus fuerit, haud facile, nec ſine portenti crimine, proles degeneraverit. Naſcendi vero vivendique pretia ubi coierint, neſcio, quid præclari exiſtere ſoleat. Etiam equis ſuæ ſunt imagines: & in nobilibus paterna indoles laudatur. Quanti tum, quæ hominis, facienda? quæ itaque cum affuerit, fatum rei ſuæ congruens videbitur,

&

& quod fors & casus, id consilium & ratio vocabitur. Et qui Princeps sua & avorum atavorumque decora prætulit, tanto major & clarior habebitur, quod non solum, & in speculi modum, quot lumina accepit, totidem reddidit, sed etiam velut Sol repercussus plura adjecit, Et hæc Principis nostri gloria.

Nota est stirps, utrimque insignis, magna antiquitate, cui sanctum aliquid & venerabile inest, & pari nobilitate, qua Principes Germaniæ Familias æquavit vel superavit. Neque minor vis, quam species. Si magni fiat ætas, quæ supra septingentesimum annum repetatur a), aut dignitas, quæ domos etiam exteras & Principales amplexa est b), plus momenii habebit ratio & sollertia, qua res

a) Herman I, Marchio omnium primus, ad imperium accessit a. 1052.

b) Ut olim Christophorus II, Cæciliam, Gustavi I, Regis Sveciæ, Filiam, & Fredericus VI, Nostri Atavus, Christinam Magdalenam, Caroli Gustavi, Regis Sveciæ, Sororem, matrimonio tenuerunt, sic nostra ætate Alexander I, Imperator Moscoviæ, Lovisam Mariam Augustam, (cognomen Elisabet Alexievna), Gu-

res sua parva (ut ferme sunt principia) eo crevit, ut aliis & majoribus præumbrare civitatibus fastigio suo cœperit. Si enim ambitu regionis judicanda sit, vix mediocris, si autem moderamine regiminis, optima est. Et diversa arte, seu decertandi fortitudine, seu decernendi ratione, hæc domi felicitas, & apud exteros laus parta est c). Neque

stavus Adolphus, Rex Sveciæ, Fredericam Dorotheam Wilhelminam, & Maximilian, Elector Bavariæ, Fredericam Wilhelminam Carolinam, Tres Nostri Principis Caroli Ludovici Filias, tenent.

c) Sic Ludovicus Wilhelmus militiæ egregius. Neque alius aut minori manu feroces animis viribusque & Turcas vicit, aut majori virtute callidis rei militaris & Gallis obstitit. Atque Carolus Wilhelmus perinde domi insignis. Qui, vastata, & vacuis, instar solitudinis, horrida civitate, quietis consiliis non vetera modo & amissa recuperavit, sed nova etiam & decora addidit. Atque hinc origo fuit radiato gentis capiti & Carlsruhe: sic dimensis vicorum ordinibus, apertisque viarum spatiis, ut, patente circumjectas per silvas prospectu, Custos publicæ felicitatis & Princeps, qui me-

Neque non salubre rei publicæ id temperamentum. Longo otio torpet animus: gratiam vero ut cœli turbines & tempestates, ita tranquillitatem pacis subinde motus castrenses augent & commendant. Fingenti autem formantique Principem, qui belli pacisque arbitria tractet, CAROLO FREDERICO, Marchione, qui principatum jam tenet, meliorem ne voto quidem concipere succurret. Neque enim alius aut hostes majori prudentia coërcuit, aut cives meliori auspicio defendit. Atque Hic, qui MAGNUS, BONUS, ex veritate, non ex adulatione, quæ veritate ad inveniendum est ingeniosior, appellatus est, raritate etiam matrimonii Felix fuit. Ipsi in decus cessit Conjux CAROLINA LOVISA, LUDOVICI VII, Principis Hessen-Darmstadensis, Filia, & singularis Mulier: quæ Maritum, in quantum passus est sexus, imitari studuit. Namque altioribus dedita doctrinis talis fuit, ut ipsi viri exemplum honesti ab Ea capere potuerint. Paterni, Materni que generis hæc claritudo.

---

dium urbis & palatium tenet, per imperii provincias jura, sicut sol per cœli regiones lumina, libere & commode reddere possit.

titudo. Et ex natura fuit, ut quorum vultum FILIUS, eorum & mores referret.

Feliciusne vero natus, an institutus Noster Princeps fuerit, haud nihil ambigam. Et par erat, ut, qui jure & potestate, idem ratione & virtute ceteros anteiret. Ita, ne quid inscienter aut negligenter fieret, vota in universum & studia fuerunt. Et more majorum, experimento ingenii & disciplinæ severitate educatus est. Neque enim, licenter & segniter agere, præmium principatus vocatum fuit. Speranti vero si aliena fides, potenti ea præcipue fallax est: insita humano generi naturâ, ut, quæ spes fuerint privatæ, publico bono potiores sint. Libentius quisque cum fortuna Principis, quam cum ipso loquitur. Emtis itaque magisteriis non commissa Principalis fuit Soboles: sed, ut remissiones haud minus quam curæ sanctitate quadam & verecundia temperarentur, tirocinii rudimentis ipsi Parentes affuerunt. Neque iis præesse PATER ante desiit, quam rei militari & civili interesse FILIUS cœpisset. Lubricum tum ætatis effugerat. Quo autem antiquius, eo melius sapere licuit. Neque enim, quæ Græcorum & Ro-

Romanorum fuit doctrina, cum ætate consenuit. Friguere, quæ suæ vires fuere: in vividi autem ingenii operibus vegeta mens & ratio dominatur. Qui vero linguam, idem & eloquentiam didicit. Non puerilis hæc & intempestiva, sed ipsius quasi senectæ maturitas & judicium erat. Quo modo nec dubito, quin, quæ sua esset animi magnitudo, hinc etiam caussam & originem traxerit.

Quantumcumque vero antiquos mirans, recentiora tamen ingenia non despexit. Neque tam effœta natura, ut nihil laudabile nostra etiam ætate pepererit. Ex contrario multa literarum & artium, posteris imitanda, item hæc tulit, ut aliquando & ipsa exemplar esse posset. Utriusque itaque studium conjungere, & unius gravitatem alterius jucunditate condire amor & labor fuit. Neque discriminata disciplinarum spatia. Omnem omnium artium varietatem, acumen dialectici, judicium mathematici, sententias philosophi, verba poëtæ, facta historici, numeros modosque musici, & quæ ceteræ rerum hominumque ac temporum doctrinæ sunt, complexus est. Qua vero studiorum vicissitudine, quemadmodum sive oculus variante loci po-

positione, sive terra mutato sementis genere, animus delectabatur.

Sic etiam quæ ingenii, eadem & animi principaliter conformandi industria & cura fuit. Et ex utilitate reipublicæ erat, ut ars imperandi honestate vivendi æquaretur. Ideoque omnia vitiorum blandimenta procul aut temperanter habita. Luxus autem, quo dulcius malum, eo curatius id vitatum. Neque facile dixerim, ubi ista peccandi illecebra captus fuerit Princeps, pejor ipsa res, an pejori exemplo agatur. Perdendi huic libidini necessitas quidem pereundi conjuncta est: cum vero, quæ privati hominis fuerit, rei tantum suæ, tum, quæ magistratus, rei etiam publicæ nocebit. Et plena est exemplorum vetus, plena nostra ætas. Sed aut valde fallor, aut nulla unquam civitas Badensi sanctior fuit, aut in qua minus magnificentiæ seu plus parsimoniæ polluit. Atque inclinat animus, ut credam, exemplo magis, quam imperio, id nominis partum fuisse. Nam Princeps antiquo ipse cultu victuque cognitus est: & validior inde, quam ex pœna & metu, æmulandi amor. Oblivione, aut, quod flagitiosius est, contemtu

temtu violantur leges, quæ adversus luxuriam repertæ fuerint: ad habitum vero frugalissimi Principis, ut necessitate pauperes, sic ambitione divites se componunt. Et hæc ratio. Altissima quæque in oculos maxime incurrunt: & qui minor est, invidet, quantumque diversitas fortunæ patitur, majorem imitatur. Quocirca tanto magis temperamenti sui diligens HIC PATER fuit, quo plures, si modum excederet, sui imitatores haberet. Ut & FILIUS quo propior, eo plus ex moribus hausit illius, cui simillimus natus erat.

Neque minor spectaculorum tenor: quorum usus æque fuit rarus, neque ille necessarius visus. Sincera nullisque vitiis detorta erat natura: & ars ut medica sano, sic ludicra innocenti supervacua judicabatur. Ceterum quod corruptæ civitatis indicium est, id corrigendi moris anceps remedium credebatur. Pro argumento fuit, quod scenis scenarumque ingeniis æger & flagrans, corruptus & corruptor animus, haud minus accendi quam restingvi solet. Ut autem a pueris adsvevit Princeps, sic in cetera vita tenuit. Et, quod gerendis rebus superesset, id utilius palæstræ & literarum

otio, unde melior aut fortior discederet, quam histrionali & convivali favori; cujus sola merces gaudentium voluptas est, tribui putavit.

Quam vero studiose legere, quam parce vivere, & quam custodite ludere, tam verecunde etiam agere oportuit. Modestia & pudor vera superioris nomina sunt: neque modum fortunæ ab ullo magis exigunt mortales, quam quem in æquo vident. At vero, si qua alia, gens libera grandis supercilii impatiens est: ambitioso illius ingenio, ut gratiæ obvio, sic offensæ adverso. Et vultu aut sermone læsa, quo tardius oderit, eo acrius, ubi iræ se tradiderit, ardet. Talium itaque animorum prudens ut Noster adolesceret, sacramentum fuit. Tamen haud minus provisum, ne quid serviliter, quam ne arroganter fieret: juxta libertatem perinde periculoso, quod obnoxium, quam quod superbum videretur; siquidem alterum Principis, alienæ libertatis, alterum suæ obliti foret. Didicit ergo a primis inde annis jungere res diversissimas, gravitatem & facilitatem, quas virtutes per ceteros vitæ gradus in feriis, jocis, miscere tam egregie novit.

Hæc

Hæc sui experimenta domi fuerunt: neque minora quæ foris capta. Ignota pro magnificis habere, eruditus erat: & ulteriora cognoscere placuit. Atque comite virtutisque custode Patre aut Matre aut Utroque, longe lateque peregrinatus est. Quod autem iter sæpius repetitum. Neque enim suffecit, semel videre, quod semper profuturum esset. Sed libros ediscère, sicut otii & in secessu pretium, sic auctores, aut loco auctorum statuas noscere, molestiæ & in frequentia præmium fuit. Atque plurimum inde emolumenti. Cœlo humanove ingenio tanta non est benignitas, ut omnes ex æquo terras uberet foveatque. Quod itaque peregrini moris instituti que, adspectu speciosium, aut usu melius, repertum fuit, domum referre licuit. Documentoque sunt alienæ sive res, quibus suum armarium magnopère nitet, sive artes, quibus sua patria tantopere floret.

Magisne vero præceptis, an, quod optimum præcipiendi genus est, exemplis in summam spei profecerit, haud satis scio. Multi vixerunt diutius, plus nemo. Ampla, non longa vita fuit: & si aliis numerare annos, huic æstimare casus

contigit.

contigit. Nam incidit ætas in tempora, rerum eventibus ſic opima, ut ævum vixiſſe videatur. Aut non recte judico, aut non alias plura & majora rerum humanarum ludibria edita fuerunt. Bellum maxime memorabile omnium, civile & externum, plerumque permixtum, in diverſa parte terrarum, & varia ſorte, victoribus, victis, proſperum, improſperum, nuper geſtum eſt. Et in ambiguo eſt, majoribusne odiis, an viribus certatum fuerit: Gallis indignantibus, quod ſuperbe avareque imperitatum ſibi eſſe crederent, Britannis aliisque, quod peſſimum & damnati Regis exemplum inductum eſſe ſcirent. Exinde atrociter utrimque ſævitum: &, ſi quód ſævitiæ genus victoria hoſtilis omiſit, id ira civilis exercuit aut auxit. Nihil non divini humanique juris violatum. Sceleribusque addita ſpecioſa & falſa nomina. Rapere, auferre, ÆQUALITAS, trucidare, proſcribere, SECURITAS vocata eſt. Cædibus inde mutuis terræ & maria, cærimoniæ & templa, ædes & fora, viæ & ſaxa paſſim polluta & nobilitata fuerunt. Nec aliter placari tot innocentium manes potuerunt, quam ſi impii totidem vulnera pectoribus acciperent. Hoc furoris piaculum, hæ domeſticæ furiæ

&

& animi conſcientiæ, quæ, tædis quaſi ardentibus, parentum, patronorum, dominorum pœnas a conſceleratiſſimis filiis, libertis, ſervis repeterent. Tantum Deo hominibusque ſupplicii dederunt, ut terrarum orbi documento eſſent. Religionis demum culpa & clades admonuerunt. Reſtaurata, quæ ipſo in bello intermiſſa, aut, quod dictu nefandum, irriſa fuerunt, ſacra: obeundo gentis ſollemni non minus dies ſtati, quam loca: atque antiquum belli decus & victoria reddita.

At vero, quemadmodum non majoribus unquam indicis probatum eſt, quam propinqua ſit licentiæ, quæ omnium, & tyrannidi, quæ paucorum eſt dominatio; ſic nec alias magisque in aperto fuit, quam accommodata ſit publicæ ſaluti, quæ unius, tamen finita, poteſtas eſt. Badenſis illuſtri monimento fuit. Nam rationem, quam illa obſequii, & iſta imperii tranſcendit, hæc ſervavit. Neque id mirum. Temperata & æquabilis ea eſt, cœloque, quod aſperitatem & angulos non habet, quanto ſimilior, tanto regimini generis humani, quod ſummæ nec libertatis nec ſervitutis patiens eſt, congruentior. Quo factum eſt, ut, quo

quo tempore validiores & proximæ gentes aliena externis victoriis, domestica civilibus consumsere, sui cives, integri & illæsi, pace & Principe, sine odio & offensione, usi fuerint.

Sed alienum bonum, malum, utile exemplum; & hinc sibi & rei publicæ, quod inceptu, exitu honestum, imitaretur Hic Princeps, quod fœdum, vitaret, capere datum erat. Atque quo propius, eo melius. Neque enim, quæ utriusque fortunæ documenta fuere, ex fama, quæ errat interdum, accepta, sed suis, sive auribus, sive, quibus magis credendum, oculis probata erant. Mentem vero si commovet, quæ sola rei imago fuerit, quantam habuisse vim ipsa facies putetur? Illa mortua & exsanguis: hæc viva & fortis. Namque cum, quæ Noster legerat, nonnisi umbra & specie ad rationem, tum, quæ expertus erat, expressa & solida effigie etiam ad affectus profuerunt.

Utile vero si fuit, videre, quid sua ætate domi validum, quid in cetero terrarum orbe ægrum fuerit: id utilius, discere, quas rationes & caussas tam diversa rerum tristis & læta conditio habuerit. Atque Pater egregius Magister. Qui, quid consilii

consilii in re ancipiti capiendum esset, Filio more & voce praeivit. Et miraculo Illius prudentia fuit. Neque enim facile intelligitur, quibus artibus, cum bella ex bellis aliae gentes sererent, se & pacem sustinuerit. An longinquitas defendit? Visa sunt ipsa saevientium littora & ora. Qui enim patet terminus, interjectu tantum fluminis fuit tutus a gente, quae, ubi cuncta vastanti defuere terrae, ipsum mare scrutata est. An minoris praedae opinio cupiditatem & impetum limine arcuit? Avari & ambitiosi hostis libidini nihil opum & inopiae exceptum. Provisu periculi & dispositu remedii id factum est. Differre impetus, adsciscere nationes, parare amicitias, foedera renovare, aut nova ferire, & rem in tempore, ac sine dedecore, cavendo servare, melius non alius novit. Neque lorica aut gladius in praelio firmius praesidium, quam sive in Foro, sive in Senatu, sive apud Principem ratio & auctoritas est. Atque civilium hoc artium decore, velut potentia quadam accinctus Hic Princeps, patriae periclitanti opem & salutem, inimico autem minitanti modestiam & pudorem tulit, ipse securus. Plus unius consilia, quam totius Germaniae arma valuerunt.

Tamen

Tamen quiescenti egregia hæc fama circumdata est, ut recuperandæ per sacra legationis firmandæque in universum paci, quo tutior, eo melior sua civitas visa fuerit: tanquam animo aut exemplo Tanti Ducis tantæ lites inter validos & impotentes componi facilius possent.

At in Paterni conscientiam arcani quanta spe futuri Filius sumtus fuit? Quem etiam tempus diesque prudentiorem fecit. Consiliis enim, quibus tantas procellas & acies Pater togatus elusit, per duodecim annos intimus fuit. Satisque ut experientiæ, sic etiam virtutis ad usum Paternæ & honestæ artis aderat. Videlicet tanto melior certa pax quam sperata victoria ei visa est, quanto major gloria, sanguini unius innoxii parcere, quam millia hostium occidere, fuerit, quantoque facilius longi temporis felicitatem unius horæ discrimen everterit. Et ex ipso Illius ore fides. Quæsito, cur pacis, quam belli artes sequi maluerit? respondit, plus se in ratione, quam in fortuna reponere. Et addidit, perpetuitati domesticæ tranquillitatis constantia sui moris prospectum iri, eâque turbata, nec sibi animum ad pericula capes-

senda

ſenda defuturum. Adeo beatiſſimi operis, ut incepti penes PATREM, ſic continuandi penes FILIUM titulus fuit.

Pari exſpectatione ſui in Senatum vocatus eſt. Intelligere occaſiones, ſuæ non deeſſe, neque hoſtibus ſuam dare, ut ad fas gentium, ſic æſtimare cauſſas, adjicere rationes, neque ſententiæ aliam, quam recte judicaſſe, mercedem habere, ad jus civium magni interfuit. Neque non mora ſalutari trigintaque annorum ſpatio in hoc conceſſu ejus conſilia invaluerunt. Atque cum virtutis Senatoriæ multa ſunt ſpecimina, tum animi popularis hoc eximium erit. Mancipata dominis aut tyrannis magna pars civitatis erat. Qui autem mos prævalidus & adultus ipſa ſervili conditione, cui animantia ſunt obnoxia, pejor humaniſſimo PRINCIPI viſus eſt. Equos enim & boves nonniſi ſemel auro venales ultro dominus alit: ſuam vero ſervitutem mancipia contumelias inter & verbera quotidie emunt & paſcunt. Ergo de redimenda privatis incommodis republica ad Patres relatum eſt. Nec ultimum in Filii laudibus id erit, quod velut in dicenda ſententia, ſic in prædicanda

PA-

Parentis humanitate primus fuit. Et magna facti gratia. Antiquissimum est malum potentiæ cupido: atque hæc, sicut quæ divitiarum est, cum magnitudine crescit. Si itaque Drusi magna est memoria, quod libertatem, si rerum potitus fuisset, populo Romano redditurus credebatur, major erit Eorum, qui reddiderunt. Atque quam pudendum iis est, quos non oriens, non occidens satiaverit, jugum innocentibus imposuisse, tam gloriosum His, quibus parvum & suum suffecit, id cervicibus depulisse. Qui vero tam diu & bene mentis publicæ particeps & interpres fuit, quo omine, si fors ita tulisset, præses illius & custos exstitisset?

In tantum ipsius prudentia & justitia enituere: neque minor, quæ gratia & liberalitatis laus fuit. Res surda & inexorabilis lex est, neque ea, cum contra morem aliquid factum fuerit, laxamentum habet: Princeps vero est homo, ad quem aditus patet, haud minus, ubi favore & beneficio, quam ubi fas & jus opus fuerit. Quibus vero Noster sic usus est, ut reo & damnato bonus, lapso & pœnitenti melior, inopi & innocenti optimus innotuerit. Etenim quam clementer severitas culpæ,

tam

tam indulgenter venia errori, & tam liberaliter opera aut pecunia afflictæ fortunæ commodata est. Testes sunt servi, quibus & irasci & ignoscere novit, atque pauperes, quibus, & sæpe, quod divinum, ex occulto subvenit: quemadmodum, crimine delato, quæstionis celerrimæ auctor non alius major fuit, ut, ubi non saluti, tamen misericordiæ locus esset, seu ut pœna quidem ex delicto, non autem lente, & in servilis supplicii modum, sumta videretur. Sed de benignitate non satis dictum. Res suæ domi tenues erant: quantum vero cupiditati detractum, tantum opulentiæ adjectum est. Et, ut materia beneficentiæ sufficeret, victus cultusque modum privati non supergressus est. Quæ tamen parsimonia magnos viros specie æstimantibus fastidio, ipsi autem ut honori, sic nemini oneri fuit. Nam pecuniæ, suæ quidem largus, publicæ vero non appetens erat. Quantoque minus de alieno, quam de proprio sibi licere putavit, tanto sanctius fisco ærarium habuit: quod non civium spoliarium aut prædarum receptaculum, sed templum communi bono dicatum ei visum est. Et hanc religionem Pater suo exemplo incusserat. Qui non tabulatum modo tectum sibi sedem loco nitentis

nitentis marmore palatii elegerat, ſed etiam vectigalia, collationes & tributa remiſerat aut temperaverat. Pro ratione ſtetit, ne ſubditis eſſet gravis, congeſtu lapidum, aliorumque, quæ ſervientium corpora & manus conterere ſolent.

Supremus his virtutibus cumulus humanitas acceſſit. Eminuit, ut olim imperaturus, aut, quod majus eſt, imperio dignus: tamen iis, quibus imperaret, communis viſus. Privatus autem videri non periclitabatur, qui Princeps eſſe non deſierat. Atque talis fuit, quales alii Principes ſe futuros pollicentur. Quæ gloria tanto major, quanto rarius eſt, in ſumma fortuna felicitatis ſuæ oblivisci.

Sed providendum erat, ne in unius & ſuo capite respublica periclitaretur. Exſpectabant ſuam curam ſubditi, exſpectabant ſobolem. Vacuo enim ſummo faſtigio, ſeditioni, bello, cædi, quibusque aliis materiam aut occaſionem orbitas dederit, cauſſas & initia vis & ambitio ſtruunt: ubi vero parem tantæ moli animum jus ſucceſſionis commendat, major auctoritas Principi, plus obſequii ſubditis naſcitur. Pluribus itaque munimentis inſiſtendum, nomenque matrimonii concupiſcendum erat.

erat. Et meruit Optima Familia, auſpicato in regimen electa, & diu incolumis ac continua, ut poſteros haberet. Sic ducta fuit Uxor AMALIA FREDERICA, LUDOVICI IX, Principis Heſſen-Darmſtadenſis Filia, & gentile ſui generis decus. Neque alia Femina magis memor fuit, quid ipſa ſibi, quid Marito debuerit. Quo factum eſt, ut idem utrique animus, idem vitæ tenor fuerit. Nihil accidit, ex quo duas fuiſſe perſonas intellectum ſit. Et nuptiali verbo, cui tanquam unius corporis, unius vitæ ſignificatio ſubeſt, hæc reverentia ſtetit.

Raræ autem ut virtutis exempla, ſic etiam fœcunditatis edita ſunt. Suſcepri Octo Liberi, Duo Filii & Sex Filiæ d): quod caſtitatis præmium

---

d) CAROLUS LUDOVICUS FREDERICUS, qui mature decessit.
CAROLUS LUDOVICUS FREDERICUS, Princeps Hæreditarius.
CATHARINA AMALIA CHRISTINA.
FREDERICA WILHELMINA CAROLINA.
LOVISA MARIA AUGUSTA, cognomine ELISABETH ALEXIEWNA.

mium fuit. Et utriusque educandi sexus par cura. Quæ autem Paternæ institutionis imitatio, aut priscæ integritatis imago erat. Neque enim corrumpere & corrumpi deliciis, blanditiis, ceteris, quæ boni sanguinis verique affectus pessima sunt venena, SECULUM vocatum; sed septa pudicitia & palam disciplina semper & ubique actum est. Rudibus vero animis inculcandæ, cum honestæ cujusvis scientiæ & artis magna diligentia, tum religionis præcipua erat. Nam rerum humanarum prospera & adversa intuens PATER, totidem culti neglectique Numinis monimenta comperit. Sacra itaque sive domi sive in itinere nunquam omissa sunt. Et sæpe ac in secessu videre Eum licuit humi prolapsum, manibusque ad cœlum & Deum sublatis, precantem, ne propter mores irati Numinis piaculum sibi & rei publicæ unquam contraheretur.

At

FREDERICA DOROTHEA WILHELMINA.

MARIA ELISABETH WILHELMINA.

WILHELMINA LOVISA.

At ſtirps, quæ ſic nata & educata fuerat, non potuit non in eum, quem miramur, animi & corporis habitum adoleſcere. Venit inde claritudo, quæ in Penates inducta. Res celeberrima eſt, Unam FILIARUM Fortuna Imperatoria dignam, Alteram Regia, Tertiam Principali viſam fuiſſe: nupta ALEXANDRO I LOVISA MARIA AUGUSTA, GUSTAVO ADOLPHO FREDERICA DOROTHEA WILHELMINA, & MAXIMILIANO FREDERICA WILHELMINA CAROLINA. Quæ fortuna eo illuſtrior, quod Ambientibus non perinde amori fuit gratia præſentium, forma, opes, & cetera tanti matrimonii pretia, quam ſingularis tantumque ſui ſimilis in poſteros propagandæ ſtirpis ſpes & votum. Aliæ quidem & majores nuptiarum conditiones oſtentatæ fuerunt: Hæ autem meliores viſæ. Nam certiſſima erat fides, fore, ut, quas a Majoribus Principes Illæ FEMINÆ conjugales accepiſſent virtutes, eas inviolatas Liberis redderent, rurſusque Hi ad Nepotes referrent. Et imperantibus ſi deligendæ ſint Conjuges, aut Hæ aut Similes eligantur.

Sic inſigne virtutis felicitatisque exemplum HIC PRINCEPS fuit. Feſtinata vero maturitas occidit

dit celerius: & hæc decora, hæc bona, velut in flore præcepta, ad frugem decidua & brevia pervenerunt. Et nescio, qui factum sit, ut, qui divinitus imperio datus esset, forte casuque præreptus fuerit. Cupido Eum incessit, visendi FILIAS, quas Sacris conjugalibus ad septentriones separaverat ætas & virtus agnoverat. Quo vero animum, eodem cursum intendit, comitante eum Filio CAROLO LUDOVICO FREDERICO duabusque Filiabus AMALIA & MARIA, Conjuge, lætorum adversorumque socia, idem passura, idem ausura. Et, ut prima itineris cesserant, sic etiam cetera fore, spes & augurium erat. Nam audentioribus spatiis petita, felicibusque passibus adita primum Russia, deinde Svecia est. Hic terminus, & requiescendi locus: non longior cogitatio, non ultra desiderium fuit. Et HOMINUM, quibus non alii caritate & sanguine propiores, vultu complexuque satiari, in Russorum, Svecorum Metropoli, laboris & discriminis grande pretium judicabatur. Gratiam vero & magnificentiam hospitii in Tantis Affinitatibus laudare, injuria hospitalis virtutis fuerit. Ut & quæ per provincias, pagos & urbes obviam ivit, parem quomodo necessitudinem, sic

re-

religionem habuit. Neque enim minus est, quod Principibus, quam quod parentibus tribuatur. His vita, Illis salus debetur. Noster itaque Advena quo Regnatrici Domui conjunctior, eo erectioribus in publico studiis, nobilitatis, plebis, exceptus fuit. Quam desideratus dies, quo regnum ingrederetur? Et quam lætus ille, quo regni sedem ingressus est? Redditi Penatibus una cum Optima Matre Optimi Patris videndi commune votum & certamen fuit. Par ubique gaudium, aut pares gaudendi caussæ. Quæ autem lætitia in singulos dies aucta. Nam quotidie Ille melior, neque fama, quæ præcesserat, minor cognitus est.

Sed brevis, ut quæque alia, etiam hæc voluptas fuit. Ut dies vicina nocte, sic vita Principis festina morte premebatur. Neque consilio locus, ubi facto opus erat. Eá series caussarum, is ordo rerum, ea lex fatorum, æterna & immutabilis, fuit, ut patriam & domum repeteret. Multa quidem distinebant: hiems, quo anni tempore terra marique quies sit, hibernique eventus, pruinæ & nives, frigora & turbines, & quæ reliqua sævientis naturæ imminebant. Indeclinabili vero necessi-

tati parendum erat. Et, si cadere necesse esset, occurrere discrimini, quam juxta exteros focos & sub nostris tectis agere, maluit. Neque quæ intervenere preces, aliud effecerunt, quam ut differre vellet, quod omittere non posset. Supremus tandem dies advenit: & pars illius componendo animo data. Novissimi vero momenti quæ facies? Eam effingere, ne iis quidem, qui interfuere, expeditum fuerit. Neque enim, quid triste in vultu, flebile in voce, lugubre denique in silentio hinc properantium, cunctantium, inde demittentium, retinentium, fuerit, dicere poterunt. Incedebat posthæc fessum lacrimis caritatisque signis agmen: neque minus futuro mœsti desiderio, qui manebant. Atque vota publice privatimque pro incolumitate suscepta & soluta: hæc autem infelicia: horaque fatalis præpropera. Nam inclinante sole, finis inclinavit: & vesperascente cœlo, ademtaque per incerta tenebrarum & in lubrico equorum pernicitate, Princeps in præceps datus est. Qui vero improvisus, omnisque humanæ culpæ expers casus, ut in suo vel alieno periculo ad speranda meliora facile est ingenium humanum, primo adspectu levior visus est. Membra enim scrutantibus

tibus livor aut livoris vestigium non apparuit. Extemplo autem intellecta est mali magnitudo. Et caussa morbi sive pavor futuri, sive alia & interior fuerit, jam corpus, jam animus PRINCIPEM deserebat. Præsto quidem erat Medicus, fide & arte spectatus: medendi autem subitis nec in via locus, nec sub dio tempus erat. Ubi vero in proximam urbem, cui Arboga nomen, perventum fuit, omnia remedia vis lethi anteierat. Nam paullatim frigescere pedes manusque, & ab extremis cedere spiritus cœpit: fervido tamen adhuc & compote mentis pectore. Tantum quoque vocis in potestate fuit, ut eorum, qui deficientem fovebant, animos adversus imminentia firmare posset. Appellavit comiter omnes, & ore placidus, verbis autem trepidus, affirmavit assidenti Conjugi, mutui & constantis se amoris memorem vixisse & mori, liberosque illacrimantes monuit, ut sui desiderium in contemplatione vitæ, per virtutem actæ, honesto solatio ferrent.

Nox tum erat: hujusque finis initium fuit lucis, qua prima & illustri Anima tam sancta sublimis

blimis abiit. Sextus & decimus ultimi mensis & Decembris, brevisque ille dies erat: quo modo nec vita quadragesimum & septimum annum excessit. Quæ ætas si immatura, ea tamen mors suo loco non inopportuna videbitur, quæ in ipso terrarum & naturæ fine accidit. Nihil enim ultra, nisi fluctus & saxa. Et nobis hæc patria, hæc jactura: neque aliter, quam in domestico luctu mœruimus. Magno etiam exemplo usi sumus, Regis & Reginæ: qui, exspirantis allato nuntio, præcipites ierunt, ut suprema verba exciperent. Hæc autem absumta: & quæ sua, quæ aliena, virorum feminarumque secuta sunt lamenta, vicem expleverunt.

De supremis posthæc honoribus consultatum: & insignis est visus, ut funus ad sedem regni duceretur. Nec quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies: Feminam, nobilitate & matrimonio Principem, & inter venerantes gratantesque adspici solitam, peregre defuncto Marito, Ipsamque in ultimo terrarum orbe quasi precario viventem, pullo amictu & mœsta circum Familia, anteire: Ferales autem

tem Reliquias, exſangues & inanimatas, nec ulla re niſi memoria ſuperſtite, datoque in tutamen adverſus nimia vulgi ſtudia militari præſidio, lente & lugubriter ſequi. Lætaque adventus reditusque triſtia comparantibus hæc miſeratio aucta eſt. Qui enim loci plauſu & acclamatione gaudentium nuper ſtrepuerant, illi tacentes, aut flebili quietemque turbante ſono, jam inhorruerant.

Laudatis autem moribus par etiam poſt obitum ſepultura fuit: tantoque ea magnificentior, quanto plura & honora Advenæ tribui fas erat. Luctifer & in occaſum præceps ille dies, quo Reliquiæ tumulo illatæ ſunt, inquies aut per ſilentium vaſtus fuit: vegeti & colorati effigies tanquam ſtatua ad intuendum propoſita: funus centurionum humeris elatum: circumfuſæ lecto ſuæ & majorum imagines, origo, nobilitas & longa decora: indicia mali & atrata ſigna præceſſere: miles cum armis: magiſtratus pullatus: & hinc, inde fluctuans, & incompoſite, ut natura docuit, mœrens turba. Omnia in magni doloris habitum, non imitationem, conformata: & quantæ grates Viro, tantæ laudes Mortuo, per pontifices, per vates, congeſtæ & cumulatæ ſunt.

Exitus

Exitus vero si exteris non sine cura, & Conjugi Liberisque tristis, PARENTI luctuosus fuit. Dolet suo, dolet publico nomine; quippe qui FILIUM, & imperii Administrum, mox Hæredem, amisit. Ex mœrore magna quidem solatia: "quanto "plus spei monstratum, si vivere licuisset, tanto "pulchriorem mortem fuisse. Et decessisse FILIUM, "integra & superstite Familia". Hæc autem aliis rationibus victa: "caros quidem Nepotes Pronepotesque, qui ipsis etiam liberis esse cariores solent; eorum vero qui maximus natu in jus Paternum succedet, quamvis egregium, tamen admodum esse adolescentem, neque summæ rei & "consilii suffecturum. Suam vicissim ætatem "vergere, valetudinem ingravescere, neque finem "procul". Quæ omnia, præterita & instantia, conferens, interpretans, interpretandoque accendens SENEX, ut molles sunt in calamitate mortalium animi, suo & imbecillo succubit. Neque, quæ ipsi rei publicæ cura est, suæ & privatæ, quæ tam alte penetravit, satis grande avocamentum aut levamen est. Paterno autem affectui ut liberius satisfiat, solitudo per intervalla quæritur. Sic etiam, accepto nuntio appropinquantis arculæ feralis,

ralis, quæ ſuo ſanguini, & amoris pignori, Cordique Filii, Majorum monimentis reddendo, receptaculum fuit, triſtis ſpectaculi viſu ferendi neſcius, relicta fortunæ ſuæ ſede, longioris ſeceſſum ruris petit. Neque ſpes eſt, fore, ut recens gravisque hic dolor ſpatio & tempore vaneſcat. Labitur ſpiritus, nec diu ille duraturus. Nihil itaque, niſi votum Boni, ſibi Succeſſoris, rei publicæ Principis, in poteſtate eſt. Quo autem impleto, ut Principes mortales, ita res publica æterna futura erit.

Sic, CAROLE LUDOVICE, Principum Optime, in foro defletus, & pro concione laudatus es. Neque Tuas, quomodo exſequias, ſic virtutes plangere licuit. Quomodo noſter ſermo nec longus, nec comtus fuit, qualis eſſe lugubris debuit; tamen Tibi in noviſſima Tua luce non ille diſplicebit. Alius & quæſitus ſpecie melior fuiſſet: hic ſimplicitate commendabilis. Et ſane Divis, ſicut Deo, gratior habetur, qui puram caſtamque mentem, quam qui longam & meditatam orationem templo intulerit. Blandiri autem Bono Principi, nefas fuiſſet. Malo hic honos eſt, nimius & falſus. Quantæcumque enim virtutes, aut ſpecies vir-

virtutibus similes afflictæ fuerint, tamen (& exemplo erit luna) maculæ interlucebunt. Ut pictores, sic oratores invenerunt colores, ut, quæ plana sint, solida videantur. In Te autem nihil non eminuit: & quæ Tui fama posteris inclaruit, suo ea lumine radians, & instar principis in cœlo sideris, colorat, non coloratur. Atque hinc suum etiam splendorem parentalis hæc cura accepit. Verus autem honos non in apparatu verborum, sed in judicio hominum repositus est. Nam sæpius male facta bene cantata aut perorata fuerunt: suum vero cuique, sine gratia & ambitione, ut dedecus vitio, sic decus virtuti conscientia generis humani rependit. Atque hæc, ut non obnoxia, sic nec interitura. Veritas interdum laborat: veri quæ conscia mens est, nunquam abolebitur. Nostra itaque vox conticescat, meliusque in æstimantium animis, quam in laudantium oribus, fixum Tuum Nomen manebit.

VIII. Panegyricus
Divo
NICOLAO HESSLÉN,
Scaniæ Blekingiæque Episcopo cet.

Spatium affectui datum est. Semestre est, ex quo mortem obiit NICOLAUS HESSLÉN, S. S. Theologiæ Doctor, Scaniæ Blekingiæque Episcopus, Academiæ Carolinæ Pro-Cancellarius, Regii Ordinis de Stella Polari Commendator, & post tanta nomina Pater, nostri amantissimus. Tantoque ad colligendum animum opus fuit. Casus hic fatalis, sed non inopinatus. Exacta erat ætas: & virtus maturuerat. Supremæ tamen necessitatis nuntio allato, mens, lingua stupuit. Soluta enim temporis momento fuit, quæ compages tamdiu coaluerat. Atque spes erat, fore, ut per unum, si minus annum vel mensem, tamen diem ipsius spiritu amplius frui nobis liceret. Quæ autem irrita. Et intellectum est, qui fuerit, ubi esse desiit. Offendit, quæ virtus incolumis est: quæ

vero ex oculis ſublata, ea quæritur. Officit enim, quæ juxta collocata: quæ vero ſublime fixa, ea nullam ſui umbram facit. Sepulchralis hæc fax eſt, collucens, non ignifera, fulgens, non fulminea. Et, quæ Hujus fuit, poſt fata, ut nocte ſidera, illuſtrior lucet. Neque ulla ejus pars eſt, cui & velut in luna aliquid maculoſi interlucet, aut quæ honeſtior ex obliquo apparebit. Tota & adverſa hæc decora. Tamen non affirmaverim, nihil non humani defuiſſe. Brevia lucis & tenebrarum intervalla: & vitia virtutibus proxima. Quo autem confinio ſi qua Noſtri virtus nec illæſa manſerit, vitium id imbecillitatis humanæ fuit. Sed quantum parvum, tantum excuſatam. Et periculum eſt, ne vitæ morumque facies (quod pulchræ factum) in pejus figuretur. Præpoſuit pulcherrimo cuique operi difficultatem natura: quæ & ipſa raro ſimilia præſtat. Atque facilius fuerit, aliud quam idem efficere. Infinita eſt inveniendi facultas, ſpatiisque naturæ ea libere utitur. Quæ vero imitandi cura eſt, ea finita: & quo facti, non opportunitas, ſed vis duxerit, ſequendum. Argumento ſuo illa dominatur, hæc inſervit. Adſiſtite itaque, Auditores, periclitanti, rogo, animum,

oculos

oculos intendire, &, exemplo ubi exciderim, admonete. Quo enim ſimilior, eo pulchrior effigies: permutata viciſſim aut translata ſui aliqua parte, prodigium fiet. Majorque recti quam nitidi ſit ſollicitudo. Deficit color: res conſtat: & præclaræ veritas ſufficiet. Suo ipſa lumine nitebit, ſuaque umbrâ eminebit.

Ponenda, quam Epiſcopus noſter meruit, imago jam erit. Effingere vultum, qui caducus fuit, artificis hoc opus. Etiam oris ſpeciem noſcere poſteri cupient. Formam mentis, quæ æterna, exprimere, ad nos pertinet. Exempli id refert. Sed panegyris hæc, non hiſtoria: & precor veniam, ut tanti memoriæ Viri per ſpecies, non tempora, conſulem.

Recte & ordine ſors Noſtri verſata eſt: & congruens, ut ſiderum cum motu cœli, vitæ curſus fuit. Nihil præpoſtere & monſtroſe, tempore inopportunum, loco alienum, perſona indignum, grave dictu, grave auditu, exſtitit. Per gradus aſcenſum eſt. Obſcura ejusdem initia: melior autem progreſſus: ſplendidusque finis. Atque id ex natura. Nox diem ducit: & dies per horas

clareſcit.

clarescit. Rustica Nostri origo a). Quæ vero, si æstimanda sit diuturnitate, antiquissima, si dignitate, generosissima fuit. Primordiis humani generis hæc æqualis: libertatisque ea comes & alumna. Neque satis scio, majusne virtutis insigne sit, quod terra genuit, sidus aluit, & annus tulit, quam quod ambitione quæsitum, favore decretum, studioque oblatum fuerit. Inanis est tituli vel imaginis splendor. Nec satiat, nec tegit. Fructuosus, qui rei campestris honos est. Senescit ceterum ille quotidie, quotannis vero hic florescit. Et cum alter sæpe immerito, semper merito alter contingit. Neque commodato opus, ubi proprio locus est. Et commendatio natalium supervacua illi, qui propter virtutes a se natus videretur.

Stirps vero, utcumque humilis, altæ indolis fuit. Patri haud media sors animi data erat. Et quæ familiæ, & prima filio ingenerata fuit, studiis li-

a) Natus d. 2 Sept. 1728 in casa rurali Hässlycke Parœciæ Visseltofta in Scaniæ territorio Gothungia Occidentali, patre Magno Sunesson, illius territorii judiciis assidente, & matre Sara Magni filia.

literarum aſſignata eſt. Quibusque item facultas rei familiaris ſuppetit. Tanta induſtria avita fuerat. Sed parum docilitas ſine inſtitutione, ut natura ſine arte, valet. Prima itaque cura fuit, ut in ſinu caſtæ matris infantia educaretur. Emtæ enim nutrici ſanguinem, ſalutem, vitam nati committere, nondum ruri ſæculum vocatum eſt. Et proxima, ut pueritia, duce pædagogo b), ad cupiditatem diſcendi imbueretur. Puerilis enim ingenii mira eſt natura. Otium in pretio; tamen, quod literarum, faſtidio eſt. Et agro libentius, quam libro, illaboratur: niſi dicendum ſit, animum, in quantum corpori præſtat, gravius contendere. Quas vero artes tenera ætas amare non poterat, ne eas odiſſe inciperet, in voto parentis & ſtudio præceptoris fuit.

Sic depoſita tirocinii rudimenta fuerunt. Sed natura nihil ſolitarium amat. Quærit vitis, multiplici lapſu errans, adminiculum: & conjuncta cum altera virtus lætior ſe profert. Ergo ſtudia extra limen mature translata. Quorum & ſedes data eſt Chriſtiania: locus ſeveritate & diſciplina inclitus

---

b) Pædagoges Mag. P. Lovén, deinde Pastor.

clitus c). Scholæque provincialis & honestissimi conventus frequentia nunc animus gaudebat. Neque quæ sibi solum, sed etiam quæ aliis præcepta fuerunt, audita. Et palam sive laudata industria, sive objurgata desidia æmulationem excitavit & aluit. Turpe enim inferiori cedere: majorem vero superasse, gloriosum. Et ambiguum, formando custodiendoque juventutis pudori plusne magisterium, quam condiscipulatus profuerit. Ambitiosa hæc ætas est: et periculosa offensio. Ne verbo quidem impune peccatur. Modestiæque, quæ Præsuli nostro tam propria fuit, causa non alia prior.

Rationis per aliquot annos hic gyrus fuit. Qui vero sublustris: & ne animus velut herbescens viriditas in opaco languesceret, ipsi ductus fuit, qui hujus Academiæ & illustris est d). Sua autem quo majora spatia, eo plura diverticula. Tamen dexter

c) Præceptores, Mag. H. Hahne, Collega Scholæ, deinde Pastor, & Mag. H. Thomæus, Rector Scholæ, deinde Theol. Doctor & Præpositus.

d) Civis Academiæ Lundensis 1745.

dexter curſus erat. Neque enim, more juvenum, & ſua ſive libertate ſive fortuna male uſurpata, licenter aut ſegniter actum eſt. Diſcere ab eruditis, ſequi optimos, hæc cogitatio, hæc cupiditas fuit. Atque ſtudiis, more majorum, data opera. Multum, non multa, legere, hoc eſſe ſapere, perſvaſio erat. Et ea vera. Nusquam eſt, qui ubique eſt. Vagi præterea animi eſt, omnia volumina transmittere; compoſiti, certis inſiſtere. Et literarum ille hoſpes, qui in iis peregrinatur, amicus, qui in iis habitat. Probatis vero auctoribus diu immorari, id eſſe ſapere certo, ſua etiam opinio tulit. Neque hæc falſa. Nihil magnum cito naſcitur: hominemque prudentiorem tempus facit. Itaque lente feſtinatum eſt. Et ingenium, ut non præceps, ita & bonæ frugi; quæ præcox, aut in flore tantum laureæ e) percepta non fuit. Matura & mitis doctrina.

Verum hoc fati arcanum, ut Noſter ſtipendia ocius faceret, ſed præmia tardius acciperet. Tamen non juſti adverſus Deum hominesque queſtus.

---

e) Philoſophiæ Magiſter 1751.

ſtus. Neque enim mala vel bona ſunt, quæ vulgus putet. Sub diverſa ſpecie eventuum cauſæ latent: &, ſicût adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda generantur. Primæ ſpes Noſtri in arduo fuerunt. Æmulis conflictatus eſt: & caſus ancipites. Honores enim, & pluries, petiit, ſed alter tulit. Qui vero & ubi major hic fuerat, ſua ſponte Noſter ceſſit f). Adferrem exemplum, niſi ad invidiam traheretur. Cum minor anteceſſiſſet, cæco caſui id tributum eſt. Et præſtitit ſua ſapientia, ut fortuita melius intelligeret, ſed patientius ferret.

Faſtigii hæc initia. Erudiendæ juventuti hoc loco Epiſcopiæ magiſter quærendus erat. Et hic electus; quippe qui optimus viſus eſt. Præceſſerat ſua laus: neque minor ipſe inventus. Patiens in docendo, facilis in emendando fuit. Neque efficacius alius verberibus, quam Hic verbis admonuit. Tranſit dolor corporis: pudor in animo reſidet. Sed non acutior ictus, quam qui fulgurante ſententia pectore excipitur. Quo autem acumine Hic potens.

f) Archipræpoſitus fieri noluit, quia Nælander, Prof. cel., fieri voluit.

potens. Sic etiam in laudando ille parcus. Theatralis est qualecumque laudandi humanitas. Minuitur enim industria, ubi certa laus: meliusque ex judicio magistri discipulus pendet. Prudens denique moderandi, & ingeniis discriminatis, fræna alii, alii calcar adhibuit. Secutusque affectum, non officium, parens mentis fuit. Nec ullus discipulorum paterni moris degener. Patriæ & sibi in decus & usum omnes conformati fuerunt. Ipsi autem optimi testes: & sui maximus quisque laudator. Eminet tamen, qui principem civitatis & Academiæ hujus locum jam tenet. In dubiis, lætis juxta Ille memorabilis. Et quoties tanta animi magnitudo, toties, quæ illius magistra fuit, sapientia memoriæ succurret. Grande hoc operæ pretium: sed cui & aliud additum. Oculus se ipse non videt. Speculo opus erit. Alienum ingenium utile exemplum fuit: & inde quasi de facie suum noscere licuit g).

g) Episcopi Rev. Engeström Filii, quorum studiis præfuit:

Jacob von Engeström, Coll. Canc. Consiliarius.

Sed parum, uni, duobus, aut tribus tempora impertire. Neque enim vox ut cæna minus pluribus sufficit; sed universis instar nostri sideris idem lucis & caloris largitur. Et, quæ Hujus, vindicanda etiam Scholis erat h). Quo autem loci nec ea sui dissimilis. Qui intra privatos parietes, idem in publico tenor fuit; sed pro cœtu intentior. Et ille redditus. Quæ in auditoribus sui forma superstes est, suæ imagini respondet. Et aut amor Viri me fallit, aut præsentibus & futuris præcipiendi magistris exemplo Hic futurus.

Spem vero patriæ qui primam, & pueritiæ, tanta laude in umbra foverat, idem illius secundam, & adolescentiæ, pari omine in luce amplificaret. Scilicet interfuit reipublice, ut Theologiæ pri-

Jonas von Engeström, Judex Provincialis.
Gustaf von Engeström, rei Metall. Consiliarius.
Johan von Engeström, Secretarius Regius.
Lars von Engeström, Summus rer. Svec. Minister.
Adolph von Engeström, rei Metall. Consiliarius.

h) Collega Scholæ Lundensis 1757: quæ data fuerat 1755, veniâ docendi retenta.

primum Docens, deinde Adjunctus Hic fieret i). Quæ autem disciplina sublimis, adituque ardua. Occultum Numen. Cujus tamen in medio mundi templo visa tellus, ut cœli in oceano, repercussa imago est. Tam præsens violis, gemmis illud inest, quam sideribus manifestum præest. Et significans, ut tacens pictura, rerum natura. Quæ autem ut muta ex habitu & specie sui oris noscenda erit. Pari modo, quæ divinitus missa fuit, vox interpretanda. Hebræa enim hæc vel Græca: quæ autem utraque obsolevit: & fallax interpretantium fides. Sic etiam inchoata cognitio Theologiæ sine accessione Philosophiæ est. Religionis & rationis natura cohærens. Illius hæc prima lux, sed dubia: quæ vero & profana sacræ ortu illustris facta est. Et utriusque consensu spes, votum Christiani non modo fidem, sed & fiduciam ac robur assumit. Quam itaque tripli-

cem

i) Commendatus, qui ab Academiæ secretis esset, Adjunctus demum, primum Philosophiæ 1760, deinde Theologiæ 1763 factus est, vicesque in hoc scientiæ genere alienas nunc, ut ante Mag. Docentis nomine, præstitit.

cem disciplinam, Theologiæ præministram, ministram, administram, Historiam loquor Naturalem, Philologiam Sacram & Philosophiam, animo comprehendere, sacramento fuit. Esto, ad unius summum perveniri non potuisse. Consistere in medio, etiam honos est. Didicit Noster, quantum in re sua satis foret. Et experimentis, etiam vice aliena k), creditum. Valet memoria: sicut & scripta litera manebit. Quantum in. altera profecerit, testimonio erit, quod in professionem scientiæ Græcæ & Orientalis commendatus fuit l); sed dignitas, quam meruit tantum. Quod vero etiam Adjunctus Philosophiæ constitutus fuit, nec ipsum in tertiæ studio mediocriter versatum esse, documento id relictum. At brevis ille honos. Fata ad majora duxerunt.

Tam varie suum nomen inclaruerat. Quod tamen alieno non obtentui fuit. Animo, ausu fortunæ non præsumta. Nec ullius gesta per artem in-

k) Functus vice aliena in Historia Naturali 1755, 1756, edidit præsidendo Dissertationem de usu Botanices morali.

l) A. 1768.

intercepit: quomodo nec in ſua exſultavit. Actus eſt Academiæ noſtræ natalis: & vocabulo honoris cumulata. Sed avidis & minoribus Hic conceſſit: tanto major ipſe, quod non nuncupabatur. Vera gloria in conſcientia generis humani, non magnificentia inanis tituli, poſita eſt. Mereri, quam adipiſci, Noſter maluit. Et Theologiæ Doctor gratis non dictus eſt m). Quod vero nomen ſua etiam res secuta. Creatus Theologiæ Profesſor, poſt Archipræpoſitus fuit n). Et virtus experta. Manca & jejuna ea cognitio, quæ præcipua actu, ſolo intellectu contenta eſt. Suæ autem diſciplinæ non ſolum meditatio, ſed meditationi etiam exercitatio, & exercitationi facultas acceſſit. Cærimoniis patrii ſollemnis jure Paſtoris aut Præpoſiti præfuerat o).

Sed

m) A. 1769.

n) Theologiæ Professor, Quartus 1775, Tertius 1776, Secundus 1778, Primus & Archipræpositus 1795.

o) Pastor in Husie & Screllinge 1763, Præpositus ibid. 1766, in territorio Oxie 1770. Atque biennii post spatio & capescente imperii sollemne Gustavo III, pro rostris & Latine spem patriæ interpretatus est.

Sed prudens rerum nec minus temporum fuit. Veterum ille æmulus. Atque pro ratione hoc ſtetit. Antiquitas, ſacra in urbe, auctoritatis magnæ in homine eſt. Rugoſa quidem facies: & oſſa, venæ numerantur. Conſilium vero & ratio ineſt. Novitatis ex contrario gratia, ut inexperta, ſic periculoſa. Et quæ florentis ac ſuæ ætatis comperta, nec temeritatis in rebus tam divinis quam humanis ea expers viſa eſt. Res enim animo, non animum rebus hic ſubjecit, ſpecie magis quam natura gaudens. Plana vero & ſolida, quæ amplecti & tenere licet, non otioſa & vacua, quæ manum prenſantis ut umbra fugiunt, placuere. Atque ipſi, ſive dicenti ſive ſcribenti, ſimplex forma veri, non illudens imago, gratia plani, non eminentis admiratio, dies, non fulgor, curæ fuit. Tamen nec ingenia ſequioris ævi contemſit. Mens eadem nunc, quæ olim: & veritas ut cœlum omnibus patet. Nondum occupata eſt. Et omnis documenta exempli Noſter intuens, quod in quoque optimum, ſuum fecit.

Ita nec opinionis de cœleſtibus diverſæ, adverſæ, judex iniquus ille cognitus. Error (ſic cen-

ſuit)

fuit) tam patienter, quam mistus grandine imber, ferendus est. Quæ enim superstitio religionem ut nox diem premit, beatiori oborta luce tolletur.

Officii demum quam sapiens, tam & diligens fuit p). Vacatio muneris, quemadmodum ætatis, nunquam petita est. Quæ autem, & cum ipsi seculare pietatis sollemne procul obeundum esset, dari debuit q). Ita nec ille cunctabundus, cum ad Academiam iret. Valetudo aut tempestas non impedimento. Ad sedem literarum, ut ad salutem vel salutis tutamen, properatum est. Quæ fit per negligentiam jactura, turpis est. Tempus autem æstimare, diem disponere, & horas complecti, melius non alius novit. Pari modo frequens in Senatum venit. Et particeps publici consilii, par Hic jure, sed audendo inferior. Pauca tum verba, & sensu permodesto. Nulla tamen secreti formido. Adversus neminem animus erat. Et ubi divisa curia (neque enim eodem loci libertas fuerit & concordia), moderator affuit.

Sic

p) Rector Academiæ 1784, 1796.
q) Upsaliæ 1793.

Sic profuit & delectavit, aut delectando profuit. Sed incertum, meliori ipsa re, an exemplo actum fuerit. Quæ ætas ad literas, eadem ad mores pertinet. Docilior vero oculus, quam auris, est: magisque rei spectaræ, quam auditæ, intelligens & memor animus. Præceptis frigide, exemplis vivide is commovetur.

Primum vero quid Nostro cum ratione sanctius? Religionis ut cœli est quædam temperies: & nimia, ut luce visus, sic pietate animus caligat. Qua autem & modica, ut modico solis accessu herba, seges, hic viget frugemque fundit. Et, quæ Nostri fuit, ea nec excedens & rigida sui odium, nec deficiens & dissoluta sui contemtum fecit. Eo spectavit sua vox, ut veritas Christiana necessario agnosceretur, suæque vocis moderatio, ut ultro amaretur.

Deinde quid Illo cum decore honestius? Personæ, quam natura aptaverat, & quam civitas imposuerat, magna consensio fuit. Nihil deforme, & mali sive ominis in ore sive exempli in more, obvium erat. Cuncta in dignitatem muneris compo-

posita. Et plurimum ut vultu post vocem, sic victu cultuque post vultum in honesti imitationem potuit.

Professoria hæc vita: & ea mediæ conditionis, perinde ab infimæ dura, quam a magnæ periculosa distans. Molestum & pingue negotium est, præesse rebus gerendis, strepitantium ante ostium colloquiis, libellis vacare, & jus, preces tractare; sedere autem in secessu, vim ingenii sui experiri, alienique laudem æmulari, securum & dulce id otium. Itaque, quod Noster fuerat, esse maluit. Verum hoc non liberum. Capessendus erat summus & sacer magistratus r). Neque intercedere licuit. Providentiæ hoc opus: cujus vero minister Ordo sacer fuit. Sic credere fas est. Nam in templis & ante aras Hic electus est. Et jurata fide. Quæ vero si uspiam arte & impulsu violata fuerit, adversus Deum quam homines id majus crimen. Quod tamen criminose insectari, eodem actu nefas. Dei injuriæ Deo curæ erunt.

Gran-

r) Commendatus Regi in dignationem Episcopi 1777, 1794: quam 1805 adeptus, Lond. Goth. inauguratus fuit.

Grandis autem Hic ævo grande onus subiit. Labore, vigiliis multum spiritus vitalis exhaustum erat. Spirabat graviter pectus: &, fallente vestigio, gradus baculo adjutus est. Idem vero vigor in vultu & habitus oris, eadem vis in oculis, eadem, quæ cetera lineamenta, vitæ innocentis pretia, vegetæque mentis signa. Sensit, meminit, providit. Neque alius plus impetu, quam Hic dispositu valuit: & in arte jubendi sicut medendi quies motu melior interdum. Cesserunt prospere foris, quæ domi bene consulta fuerant. Hians erat ædes, quæ actis sacerdotii olim dicata: injuriæque cœli memoriæ rerum, testimonia temporum, hominumque scita patebant. Sic etiam, quæ Sancto Concilio, custodi pietatis, temeritatis vindici, officiique moderatori inaugurata fuit, labans. Eo perventum erat, ut nec vitia, nec remedia pati utraque posset. Necessitas in loco: spes autem Præsuli in favore Regis: & magnum opus inchoatum, finitum est.

Magna facti gloria: neque minor, quæ consilii parta. Anceps juveni, quæ nimis sive obnoxia vitæ Scholasticæ, sive soluta Academicæ ratio est.

Fa-

Facile enim, hinc servitus in oblivionem sui ingenii, inde libertas in alieni ludibrium vertitur. Egregium vero temperamentum, si, sublatis utriusque incommodis, sola commoda misceantur. Et hoc Gymnasii institutum. Desvescit illius ope animus humili obsequio, ingenuoque pudori insvescit. Atque diu pium hoc desiderium; sed non longior cogitatio. Quo autem modo, & cum minimo impendio, illud fas disciplinæ, columen adolescentiæ, & decus provinciæ prorogetur, mens Noster antevertit. Sed ejus verba non vulgata: quæ tamen fama, neque ea errans, nobis tradidit.

Cura hæc ludi litterarii: quæ cetera rei suæ administratio fuit, ea æque egregia. Juste & integre actum est. Agendique summa ratio Præsuli lex fuit. Qui meritis, idem præmiis locus. Et oranti, vel ad munera, in morem legis, Hic surdus & inexorabilis: pari in omnes studio, non noto, ne dicam propinquo, quam ignoto melior. Quo pertinet, quod nec ambitus miseri manifestus fuit. Ista cupido, ut quæ pecuniæ est, infra animi magnitudinem erat. Circumire, appellare, prensare, id servile esse, id judicium; suos vero mo-

res

res fortunam cuique fingere, ſuæque virtuti confidendum eſſe, ea vox fuit. Nec commendatitiæ exemplum epiſtolæ datum. Si quando & in examine æqui aliquid momenti amicitia habuerit, præcipuo & exoleſcenti mortalium illi bono hæc venia danda fuit. Cui autem affectui, & ubi cupiditas tituli inanis exarſerat, non obtemperatum. Honos, qui promiſcuus, vaneſcit.

Ubi vero non gratia, ibi modeſtia prævaluit. Et hæc verum ſuperioris nomen. Quod & Noſtro tam proprium quam paternum fuit. Animi, qui latuit, ſimilitudo reddita. Plus eſſe, quam videri, voluit. Nec, quod magnum, tumet. Præoptavit Hic, ſequi vel tacere, quam ut præiret vel declamaret. Cauſa fuit, ne aliis & minoribus præcellere vel præcipere videretur. Quod autem ambiente vel recenſente ipſo eviluiſſet, alio offerente vel referente nobilitatum eſt.

Tam ſummiſſe in vita communi: neque in ſolitaria ambitioſius. Diſciplinarum varietate ingenium, gravitate judicium, copia memoriam coluerat. Et divini humanique moris quam ſciens fuit? Scientiæ vero nulla jactantia. Et obtegens ſui cum uno

uno & altero, modeſtius coram pluribus egit. Multa ſcripſit; ſed pauca edidit. Quod reverentiæ judicii publici datum eſt. Sibi non tanti viſus, quanti aliis fuit. Scriptorem, illo æſtimatore, metus, quam fiducia, magis decet. Et in famæ ſinu, quam ore, felicior homo. Magnæ comes obtrectatio eſt. Invidet, qui minor: &, ubi rem deſtruere nequit, verba inceſſit. Bonæ autem qui nec minus in ſecreto ſtudet, ſecum & cum libellis loquitur, neminem reprehendens, ipſe non reprehensus. Recta & ſincera vita! Ceterum orbis eruditorum multitudine librorum obruitur magis, quam inſtruitur. Satietas tenet. Et inglorium, repetere, quæ nota: rebusque novis in argumento religionis ſtudere, nefas. Subtraxit itaque Hic meliori conſilio, quæ addere potuit. Majorique animo ſui exiſtimatio in conſcientia reponebatur. Quam vero ſupprimens auxit. Res diſſimulata in majus accipitur. Et, Hoc viſo, quanta reticuerit, interpretabamur,

Tamen animi, utcumque verecundi, minime abjecti erat. Libera eſt virtus: non ſervit. Et quæ diverſæ ſuæ ſpecies ſunt, in alio non aptius con-

conjunctæ. Nihil aut ſeveritati facilitate, aut gravitati humanitate detractum, quomodo nec aliquid aut avaritiæ frugalitate aut luxuriæ liberalitate additum eſt.

Pari Hic faſtigio ſtetit, ſuperioribus non adulans, nec difficilis æqualibus, aut inferioribus arrogans. In cunctis vitæ officiis ſuæ dignitatis & alienæ libertatis memor fuit. Sic etiam, quæ extra animum, nec bona nec mala ſunt, in uſum, non cupiditatem, verſa fuerunt. Supplere per raptus, quod perdendi libidine exhauſtum, multis illuſtribus viris dedecori fuit. Opus vero & divitias, ne munificentiæ materia deeſſet parare, Huic in decus ceſſit. Sed inopi & in ſecreto, ſubvenire, divinum erat. Et invitante limine notos, ignotos excipere, divino id proximum. Quod vero cum in commune, tum præcipue Studioſorum generi ſalubre fuit. In ſolitudine ad magnas cogitationes, in convictu ad lætas animus pateſcit. Neque ſermoni, qui poſt ſeria per jocos provocatur, redditur, ulla ſatietas ineſt. Et ubi, qualis Noſtri fuit, ſal dicendi adſperſus fuerit, ad voluptatem animi tranſit. Neque hoc ſatis. Si qua ſimultas interceſſerit,

rit, nuda tum mens: & gratia facile reconciliatur: testisque fidei dextra, & Deus hospitalis. Quod autem animi, sive fessi levamen, sive ægri placamen, dulce omnique pæne negotio pulchrius otium est. Epulisque familiaribus item sollemnes accesserunt. In honorem imperii sacra mensæ procurata. Et vota pro ejus æternitate, vetera solvere, nova suscipere, religiosum tum fuit.

Potens sui satis adhæc ingenium erat: nec unquam iræ, quam cohibuit vel transmisit, id impotens. Sicut & alieni durique idem tolerans. Notum erat, mente ut facie homines differre. Neque magis illiberali, quam liberali, indignandum esse, æque persvasum. Tamen recti id pervicax; sed comiter. Et constans amicitiæ, quam temere non iniit; nec injuriam ultra arguit, quam ut eam sibi notam esse significaret.

Laudabilia hæc, quæ in publico: quæ vita interior, ea admirabilis. Quæ sacri conjugalis reverentia? Unum corpus, una anima, una virtus fuit. Qualis sui invicem observantia? Cedendo, anteponendo certatum est. Quanta famulitii vere-

cun-

cundia? Tale rei domesticæ regimen erat. Ipsi domui aliquid venerabile & sanctum inesse visum est. Et ubi Magno Pontifici nomen matrimonii concupiscendum erit, aut hoc aut simile voto concipiatur. Sed fruendo bono carendi dolor crevit. Tanto autem frui quia tamdiu licuit, etiam dolendi quædam voluptas est s).

Jam

s) Uxor Maria Beata von Engeström, hoc nomine culti nobis Episcopi Filia, & castitati, probitati paratum præmium. Quæ personæ dignitas? quæ ingenii vis? quæ judicii magnitudo? Et pares animi virtutes. Pluriumque illæ ætatum collectæ. Puellaris jucunditas, verecundia virginalis, & matronalis gravitas inest. Quas vero etiam gratificandi voluntas, atque rei familiaris obeundæ cura, cumulant. Neque alia ex prosperiori fortuna plus quam liberalitas usurpata est. Verum nulla stirps ex matrimonio. Tamen, & sine tali sanguinis nexu, idem utrique animus erat. Neque unde diversus fuerit, compertum. Continuus, qui amor nuptialis fuit. Et modestiâ viri; verecundiâ feminæ is firmatus. Ejusque constans Alter ad cœlum rediit, memor Altera nobis interest. Verum Hæc mœsta. Grande solatium, quod talem Maritum habuit; sed hæc magis luget & plangit, quod amisit.

Jam verò virtus ſibi ipſa decori, ut vitium dedecori, eſt. Neque enim hæc, ut fortuna, in aliena manu poſita. Labòrat interdum, ſed non exſtinguitur. Per ſe clara eſt. Et, quæ viſui offecit, nube pulſa, claritudo redditur. Ita etiam, quæ Noſtrum honeſtavit, condita tenebris, enituit. Et illius inſigne Stella Polaris, primum minoris t), deinde amplioris magnitudinis u). Quod autem ſui, ut vultus animi, index fuit.

Ita nobis Hic interfuit aut præfuit. Et pro ejus ſalute preces fuſæ. Quæ vero infelices. Numen alieni pontificatus fatigavimus. Graveſcebat cum ætate valetudo: quæ vero abſtinentia mitigabatur. Et, ut in melius, pejus iit, nos læti, mœſti. Negotiis tamen mens non impar fuit. Et origini ſuæ primæ quo propior, eo erectior. Optimæ conſcientia inerat. Sed manifeſta defectio. Quæ autem intento ſermone & quæſita comitate tegebatur. Et deficienti aſſidens Conjux. Diligens etiam Medicus: fomenta, & ſpes novæ. Haud multo ante tempo-

t) Membrum Regii Ordinis de Stella Polari 1807.

u) Commendator dicti Ordinis 1809.

re interclusa fuerat anima: sed visus, vox. rediit, & convalescendi principium. Verum continua febris: deserebant corpus, vires: & in fine naturæ ars, fides non profuit. Vesperascebat cœlum: sidera cadebant: & quæ pars immortalis, sublimis abiit x).

Quæ mortalis, ea vitæ spatio & claritate, mortis genere & opportunitate etiam beata fuit. Si computentur anni, hic Episcopus longum ævum, si vices rerum, longissimum peregit. Adepto etiam, qui summus in sacris est, honorem, quid amplius adstruere fortuna potuit? Et lenis moribusque congruens exitus. Quemadmodum nec visum est tempus, quod reipublicæ prope supremum fuit. Nobis ereptus est. Noster hic luctus, & qualis esse domesticus solet. Talis homo, civis, maritus, amicus fuit. Et par sepultura. Compositus est lacrimis: & vultu (complexu non licuit) satiari

ut

x) Mortuus d. 13 April 1811.
Opera Dissertationes Academicæ, item Sollemnes, pro Gradu Doctoris, & in Synodo: omnes prisci moris, judicii & maturitatis, expressæ imagines.

ut liceret, palam monſtratus. Sed claudenda erat urna feralis: requirentibus tum oculis, quem deſiderabant. Sed ſola mente videbatur.

De ſupremis poſthæc actum eſt. Et celebratum funus, per ſui ſollemnia, an per vulgi ſtudia magnificentius, non dixerim. Vaſta (quod in turba rarum) & velut in ſolitudine illa nox, qua ductæ ſunt exſequiæ. Silentium id magni doloris. Et flebili ſive concionis ſive carminis ſono turbatus dies, quo oſſa tumulo illata fuerunt. Quod medii fuit temporis, vocem reddiderat. Diſſimilis hic parentalis: lugubri adſpectu, ſed luctu operto. Neque enim virtutes plangere decet. Eas contemplari, &, ſi fieri poſſit, æmulari oportet.

Minor autem re ſua effigies, ut umbra corpore, imago facie, & ars naturâ. Exemplo vera, imitationi aſſimilata vis ſubeſt. Et quædam inimitabilia. Neque enim, aut quæ facultas ingenii & ſubtilitas judicii, aut quæ gratia oris & ſvavitas vocis, quam acutus, inquam, quam dulcis fuerit, eloqui in poteſtate erit. Meminiſſe juvabit. Et memoria hæc continua ut tempus, ſed tempore conſtantior futura.

Il-

Sic profuit & delectavit, aut delectando profuit. Sed incertum, meliori ipsa re, an exemplo actum fuerit. Quæ ætas ad literas, eadem ad mores pertinet. Docilior vero oculus, quam auris, est: magisque rei spectatæ, quam auditæ, intelligens & memor animus. Præceptis frigide, exemplis vivide is commovetur.

Primum vero quid Nostro cum ratione sanctius? Religionis ut cœli est quædam temperies: & nimia, ut luce visus, sic pietate animus caligat. Qua autem & modica, ut modico solis accessu herba, seges, hic viget frugemque fundit. Et, quæ Nostri fuit, ea nec excedens & rigida sui odium, nec deficiens & dissoluta sui contemtum fecit. Eo spectavit sua vox, ut veritas Christiana necessario agnosceretur, suæque vocis moderatio, ut ultro amaretur.

Deinde quid Illo cum decore honestius? Personæ, quam natura aptaverat, & quam civitas imposuerat, magna consensio fuit. Nihil deforme, & mali sive ominis in ore sive exempli in more, obvium erat. Cuncta in dignitatem muneris com-

po-

posita. Et plurimum ut vultu post vocem, sic victu cultuque post vultum in honesti imitationem potuit.

Professoria hæc vita: & ea mediæ conditionis, perinde ab infimæ dura, quam a magnæ periculosa distans. Molestum & pingue negotium est, præesse rebus gerendis, strepitantium ante ostium colloquiis, libellis vacare, & jus, preces tractare; sedere autem in secessu, vim ingenii sui experiri, alienique laudem æmulari, securum & dulce id otium. Itaque, quod Noster fuerat, esse maluit. Verum hoc non liberum. Capessendus erat summus & sacer magistratus r). Neque intercedere licuit. Providentiæ hoc opus: cujus vero minister Ordo sacer fuit. Sic credere fas est. Nam in templis & ante aras Hic electus est. Et jurata fide. Quæ vero si uspiam arte & impulsu violata fuerit, adversus Deum quam homines id majus crimen. Quod tamen criminose insectari, eodem actu nefas. Dei injuriæ Deo curæ erunt.

Gran-

r) Commendatus Regi in dignationem Episcopi 1777, 1794: quam 1805 adeptus, Lond. Goth. inauguratus fuit.

Facile enim, hinc servitus in oblivionem sui ingenii, inde libertas in alieni ludibrium vertitur. Egregium vero temperamentum, si, sublatis utriusque incommodis, sola commoda misceantur. Et hoc Gymnasii institutum. Desvescit illius ope animus humili obsequio, ingenuoque pudori insvescit. Atque diu pium hoc desiderium; sed non longior cogitatio. Quo autem modo, & cum minimo impendio, illud fas disciplinæ, columen adolescentiæ, & decus provinciæ prorogetur, mente Noster antevertit. Sed ejus verba non vulgata: quæ tamen fama, neque ea errans, nobis tradidit.

Cura hæc ludi litterarii: quæ cetera rei suæ administratio fuit, ea æque egregia. Juste & integre actum est. Agendique summa ratio Præsuli lex fuit. Qui meritis, idem præmiis locus. Et oranti, vel ad munera, in morem legis, Hic surdus & inexorabilis: pari in omnes studio, non noto, ne dicam propinquo, quam ignoto melior. Quo pertinet, quod nec ambitus miseri manifestus fuit. Ista cupido, ut quæ pecuniæ est, infra animi magnitudinem erat. Circumire, appellare, prensare, id servile esse, id judicium; suos vero mo-

res

res fortunam cuique fingere, ſuæque virtuti confidendum eſſe, ea vox fuit. Nec commendatitiæ exemplum epiſtolæ datum. Si quando & in examine æqui aliquid momenti amicitia habuerit, præcipuo & exoleſcenti mortalium illi bono hæc venia danda fuit. Cui autem affectui, & ubi cupiditas tituli inanis exarſerat, non obtemperatum. Honos, qui promiſcuus, vaneſcit.

Ubi vero non gratia, ibi modeſtia prævaluit. Et hæc verum ſuperioris nomen. Quod & Noſtro tam proprium quam paternum fuit. Animi, qui latuit, ſimilitudo reddita. Plus eſſe, quam videri, voluit. Nec, quod magnum, tumet. Præoptavit Hic, ſequi vel tacere, quam ut præiret vel declamaret. Cauſa fuit, ne aliis & minoribus præcellere vel præcipere videretur. Quod autem ambiente vel recenſente ipſo eviluiſſet, alio offerente vel referente nobilitatum eſt.

Tam ſummiſſe in vita communi: neque in ſolitaria ambitioſius. Diſciplinarum varietate ingenium, gravitate judicium, copia memoriam coluerat. Et divini humanique moris quam ſciens fuit? Scientiæ vero nulla jactantia. Et obtegens ſui cum

uno

uno & altero, modestius coram pluribus egit. Multa scripsit; sed pauca edidit. Quod reverentiæ judicii publici datum est. Sibi non tanti visus, quanti aliis fuit. Scriptorem, illo æstimatore, metus, quam fiducia, magis decet. Et in famæ sinu, quam ore, felicior homo. Magnæ comes obtrectatio est. Invidet, qui minor: &, ubi rem destruere nequit, verba incessit. Bonæ autem qui nec minus in secreto studet, secum & cum libellis loquitur, neminem reprehendens, ipse non reprehensus. Recta & sincera vita! Ceterum orbis eruditorum multitudine librorum obruitur magis, quam instruitur. Satietas tenet. Et inglorium, repetere, quæ nota: rebusque novis in argumento religionis studere, nefas. Subtraxit itaque Hic meliori consilio, quæ addere potuit. Majorique animo sui existimatio in conscientia reponebatur. Quam vero supprimens auxit. Res dissimulata in majus accipitur. Et, Hoc viso, quanta reticuerit, interpretabamur.

Tamen animi, utcumque verecundi, minime abjecti erat. Libera est virtus: non servit. Et quæ diversæ suæ species sunt, in alio non aptius con-

conjunctæ. Nihil aut ſeveritati facilitate, aut gravitati humanitate detractum, quomodo nec aliquid aut avaritiæ frugalitate aut luxuriæ liberalitate additum eſt.

Pari Hic faſtigio ſtetit, ſuperioribus non adulans, nec difficilis æqualibus, aut inferioribus arrogans. In cunctis vitæ officiis ſuæ dignitatis & alienæ libertatis memor fuit. Sic etiam, quæ extra animum, nec bona nec mala ſunt, in uſum, non cupiditatem, verſa fuerunt. Supplere per raptus, quod perdendi libidine exhauſtum, multis illuſtribus viris dedecori fuit. Opus vero & divitias, ne munificentiæ materia deeſſet parare, Huic in decus ceſſit. Sed inopi & in ſecreto, ſubvenire, divinum erat. Et invitante limine notos, ignotos excipere, divino id proximum. Quod vero cum in commune, tum præcipue Studioſorum generi ſalubre fuit. In ſolitudine ad magnas cogitationes, in convictu ad lætas animus pateſcit. Neque ſermoni, qui poſt ſeria per jocos provocatur, redditur, ulla ſatietas ineſt. Et ubi, qualis Noſtri fuit, ſal dicendi adſperſus fuerit, ad voluptatem animi tranſit. Neque hoc ſatis. Si qua ſimultas interceſſe-

rit,

it, nuda tum mens: & gratia facile reconcilia-ur: testisque fidei dextra, & Deus hospitalis. Quod autem animi, sive fessi levamen, sive ægri placamen, dulce omnique pæne negotio pulchrius otium est. Epulisque familiaribus item sollemnes accesserunt. In honorem imperii sacra mensæ procurata. Et vota pro ejus æternitate, vetera solvere, nova suscipere, religiosum tum fuit.

Potens sui satis adhæc ingenium erat: nec unquam iræ, quam cohibuit vel transmisit, id impotens. Sicut & alieni durique idem tolerans. Notum erat, mente ut facie homines differre. Neque magis illiberali, quam liberali, indignandum esse, æque persvasum. Tamen recti id pervicax; sed comiter. Et constans amicitiæ, quam temere non iniit; nec injuriam ultra arguit, quam ut eam sibi notam esse significaret.

Laudabilia hæc, quæ in publico: quæ vita interior, ea admirabilis. Quæ sacri conjugalis reverentia? Unum corpus, una anima, una virtus fuit. Qualis sui invicem observantia? Cedendo, anteponendo certatum est. Quanta famulitii verecun-

cundia? Tale rei domesticæ regimen erat. Ipsi domui aliquid venerabile & sanctum inesse visum est. Et ubi Magno Pontifici nomen matrimonii concupiscendum erit, aut hoc aut simile voto concipiatur. Sed fruendo bono carendi dolor crevit. Tanto autem frui quia tamdiu licuit, etiam dolendi quædam voluptas est s).

Jam

---

s) Uxor Maria Beata von Engeström, hoc nomine culti nobis Episcopi Filia, & castitati, probitati paratum præmium. Quæ personæ dignitas? quæ ingenii vis? quæ judicii magnitudo? Et pares animi virtutes. Pluriumque illæ ætatum collectæ. Puellaris jucunditas, verecundia virginalis, & matronalis gravitas inest. Quas vero etiam gratificandi voluntas, atque rei familiaris obeundæ cura, cumulant. Neque alia ex prosperiori fortuna plus quam liberalitas usurpata est. Verum nulla stirps ex matrimonio. Tamen, & sine tali sanguinis nexu, idem utrique animus erat. Neque unde diversus fuerit, compertum. Continuus, qui amor nuptialis fuit. Et modestiâ viri; verecundiâ feminæ is firmatus. Ejusque constans Alter ad cœlum rediit, memor Altera nobis interest. Verum Hæc mœsta. Grande solatium, quod talem Maritum habuit; sed hæc magis luget & plangit, quod amisit.

Jam verò virtus sibi ipsa decori, ut vitium dedecori, est. Neque enim hæc, ut fortuna, in aliena manu posita. Laborat interdum, sed non exstinguitur. Per se clara est. Et, quæ visui offecit, nube pulsa, claritudo redditur. Ita etiam, quæ Nostrum honestavit, condita tenebris, enituit. Et illius insigne Stella Polaris, primum minoris t), deinde amplioris magnitudinis u). Quod autem sui, ut vultus animi, index fuit.

Ita nobis Hic interfuit aut præfuit. Et pro ejus salute preces fusæ. Quæ vero infelices. Numen alieni pontificatus fatigavimus. Gravescebat cum ætate valetudo: quæ vero abstinentia mitigabatur. Et, ut in melius, pejus iit, nos læti, mœsti. Negotiis tamen mens non impar fuit. Et origini suæ primæ quo propior, eo erectior. Optimæ conscientia inerat. Sed manifesta defectio. Quæ autem intento sermone & quæsita comitate tegebatur. Et deficienti assidens Conjux. Diligens etiam Medicus: fomenta, & spes novæ. Haud multo ante tempo-

 re

t) Membrum Regii Ordinis de Stella Polari 1807.

u) Commendator dicti Ordinis 1809.

re interclusa fuerat anima: sed visus, vox. rediit, & convalescendi principium. Verum continua febris: deserebant corpus, vires: & in fine naturæ ars, fides non profuit. Vesperascebat cœlum: sidera cadebant: & quæ pars immortalis, sublimis abiit x).

Quæ mortalis, ea vitæ spatio & claritate, mortis genere & opportunitate etiam beata fuit. Si computentur anni, hic Episcopus longum ævum, si vices rerum, longissimum peregit. Adepto etiam, qui summus in sacris est, honorem, quid amplius adstruere fortuna potuit? Et lenis moribusque congruens exitus. Quemadmodum nec visum est tempus, quod reipublicæ prope supremum fuit. Nobis ereptus est. Noster hic luctus, & qualis esse domesticus solet. Talis homo, civis, maritus, amicus fuit. Et par sepultura. Compositus est lacrimis: & vultu (complexu non licuit) satiari

ut

---

x) Mortuus d. 13 April 1811.
Opera Dissertationes Academicæ, item Sollemnes, pro Gradu Doctoris, & in Synodo: omnes prisci moris, judicii & maturitatis, expressæ imagines.

ut liceret, palam monſtratus. Sed claudenda erat urna feralis: requirentibus tum oculis, quem deſiderabant. Sed ſola mente videbatur.

De ſupremis poſthæc actum eſt. Et celebratum funus, per ſui ſollemnia, an per vulgi ſtudia magnificentius, non dixerim. Vaſta (quod in turba rarum) & velut in ſolitudine illa nox, qua ductæ ſunt exſequiæ. Silentium id magni doloris. Et flebili ſive concionis ſive carminis ſono turbatus dies, quo oſſa tumulo illata fuerunt. Quod medii fuit temporis, vocem reddiderat. Diſſimilis hic parentalis: lugubri adſpectu, ſed luctu operto. Neque enim virtutes plangere decet. Eas contemplari, &, ſi fieri poſſit, æmulari oportet.

Minor autem re ſua effigies, ut umbra corpore, imago facie, & ars naturâ. Exemplo vera, imitationi aſſimilata vis ſubeſt. Et quædam inimitabilia. Neque enim, aut quæ facultas ingenii & ſubtilitas judicii, aut quæ gratia oris & ſvavitas vocis, quam acutus, inquam, quam dulcis fuerit, eloqui in poteſtate erit. Meminiſſe juvabit. Et memoria hæc continua ut tempus, ſed tempore conſtantior futura.

Il-

Illustri jam momimento quod nomen adjiciatur? Magnusne appelletur? quod invidiosum. An Felix? quod fortuitum. Satius fuerit, Optimum vocare: quod virtuti proprium. Et cognomen hoc rarum. Contigit, non facta solum, sed & ipsum laudare.

PANEGYRICUS

CAROLO XIII

SOLLEMNIA IMPERII CAPESSENTE.

Trepidus in concionem ascendi. Neque enim scio, quomodo tempori & affectui nostro satisfaciam. Miserer, an gratuler? Fortunam Imperatoriam plangam, an extollam? Esse noster Princeps Gustavus Adolphus desiit, Carolus cœpit. Subitaque hæc vicissitudo: tanto gravior, quod non ex natura (solatio id esset), sed (quod miseret) fatali quadam necessitate exstitit. Quamquam ea non opinione celerior. Seculi pars fuit. Concussus

ſus terrarum orbis: & ambitu, auſu regna, ut terræ motu montes & juga, conſidunt, emergunt. Valuitque vis inteſtina, ubi externa defuit. Exemplo etiam patria. Suo cœlo ſoloque hæc durata; tamen a contactu libera non fuit. Convulſa, quæ tamdiu coaluerat, imperii compages. Ipſaque domus Regia, auſpicato condita, pluraque per ſecula incolumis, illæſa non manſit. Neque culminis ſola clades. Tota ea ſubverſa eſt: pulſo domino, dominiique aviti exhærede prole ejus facta. Quod vero in invidiam non trahendum. Eo neceſſitatis, quæ ſuprema eſt lex, perventum erat, ut præceps ſive Princeps, ſive Civitas iret. Et admiſſum exemplum. Nam pro ſtatu rerum is erat habitus animorum, ut facinus, quod auſi ſunt pauci, plures vellent, & omnes paterentur. Tamen id luctuoſum. Neque enim rerum humanarum ullus tam immemor, quem non commoveret illa facies: Princeps populi Svecani, die illuſtri, & proſpectante prætoria cohorte, in ipſa fortunæ ſuæ ſede captus, multoque noctis, & quaſi pompa ferali, in cuſtodiam ductus eſt: milite contra fas diſciplinæ nihil auſo, quieto etiam vulgo, magiſtratuque vicem reipublicæ ſollicito. Per ædes, vias, attoniti

vul-

vultus, ad omnia conversæ aures, taleque silentium, quale magni stuporis esse solet. Nam mentem, vocem rei miraculum defixerat, ejus causa misericordiam abstulerat.

Sed præterita argui magis, quam corrigi possunt. Et querelæ inutiles ac inanes. Neque gratæ, quamvis necessariæ, illæ futuræ: quomodo nec hodierno sermoni, quem sonus flebilis turbare non debet, eæ congruæ, Adierat ultimum discrimen patria: nec in ope humana spes ulla superesse visa est. Deo autem curæ nostra salus. Qui quidem nobis propter mores iratus fuit. Tantumque dedimus pœnarum, ut orbi terrarum documento essemus. Qui autem, culpâ piata, laborantibus adfuit. Nam imperium (sic credere fas est) si non cæca fatorum potestate ademtum Gustavo Adolpho, nec sine præsenti Numine id Carolo delatum putetur.

Vices vero non alia res magis, quam beneficentia exigit. Diesque, quo nati sumus, si magnam religionem habet, ille, quo nos conservati, summam incussit. Vita sine salute pejor morte est. Tantoque hic dies lætior, quod non ex parte, & uni aut alteri, sed totus & universæ civitati, veluti sol, il-

illuxit. Cujus itaque sollemne obire, si aliis fas fuit, id negligere, nobis nefas esset. Imminuit hostis: & terminus patuit. Tamen in bello, tanquam in pace, nobis vivere contigit. Felicitatisque tam raræ qui primi fuimus, nec referendæ gratiæ, quæ Deo hominibusque debetur, novissimi erimus.

Sed parum grate sine comparatione judicatur: & secunda ex adversis, ut ex secundis adversa, melius æstimantur. Mihi itaque, rogo, detur hæc venia, ut, antequam ad primordia Caroli veniam, pauca de Gustavi Adolphi extremis memorem. Non defletus hic fuit in foro. Neque cærimoniæ illius omissæ piguit. Amicitiam, præcipuum mortalium bonum, merentur magis, quam habent Principes. Ejusque locum tenet, ut, florentibus ipsis, adulatio, aut, quæ pejor odio est, amoris simulatio, sic, postquam ceciderunt, livor & obtrectatio. Proprium est ingenii humani, fortunæ prosperæ arridere, improsperæ irridere. Atque si inscienter aut imprudenter in lubrico declinaverit Princeps, exorabile Numen est, inexorabile vulgus.

Sedes autem & magiſtra humanitatis hæc eſt. Ut oblivifci injuriæ, ſi qua accepta fuit, ſic meminiſſe beneficii, ſive ſtipendium, ſive titulus, ſive imago obtigit, & famæ benefici, ubi licebit, pro parte virili conſulere, non ſcripta, ſed nata, hujusque templi parietibus reſona indies vox eſt. Tamen ea jam anceps. Neque enim faventes, invidi deerunt, quibus parum, vel nimis miſerari videbor. Nihil in humano ingenio medium. Aut (quod extremum eſt in libertate) licentia & malignitas, aut (quod extremum in ſervitute) obſequium deforme & aſſentatio placet. Quo accedit, quod obtrectatio pronis auribus, laudatio ægris animis accipitur. Neutro mens noſtra inclinat. Dicere ſine odio & ſtudio, ſine ſpe & metu, religioni nobis erit. Dicendique eventus in conſcientia potius, quam in favore populari reponatur. Precor Deum, imperii noſtri conditorem & cuſtodem, ut oratio, digna tempore, digna loco, cum pari modeſtia & libertate, fide & veritate, mihi contingat.

Cuncta regere, ſummus eſt honos; optandusne vero magis, quam timendus, haud nihil ambi-

bigam. Felicior privati hominis conditio est, Artem quamvis, honestam, liberalem, exercere, securum hoc negotium, hoc otium. Reprehendit talem nemo: neminemque nisi unum se, parum diligenter vel intelligenter agentem, ipse reprehendit. Secum suoque cum opere in secessu contendere licet: atque bona, magna fama sine ambitu paratur. Recta & beata vita. Rex vicissim est homo, a quo petatur, ubi jus, ubi beneficium opus fuerit. Facit vero indignationem repulsa: gravis ipsa gratiæ memoria: invisoque semel superiore, seu bene seu male facta juxta premunt. Habet hoc parva fortuna, ut aciem obtrectationis, quomodo visionis, facile fugiat. Magnæ vero quæ comes invidia est, ea perspicax & judicii anxia. Scrutatur arcana, deterioraque in pejus interpretatur. Patet enim probris, ut cœlum nubibus, quicquid eminet. Principique viro, ut sideri, qui ejus & minores sunt satellites, officiunt. Nec miror. Inculatur ipse Deus; quia subinde invida piis fata. Ceterum multis arduum est, suam domum coërcere. Nascitur domesticis invidia: quæ augescit simultate, & in contentionem erumpit. Penatesque sic regere, ut ne oblivioni aut contemtui

sit,

fit, quid uxor marito, femina fibi, liberi parentibus, fervi domino debeant, hæc cura, hæc difficultas. Quæ tamen nonnifi pars eft reipublicæ. Quanta tum, quæ totius, æftimabitur? Quid vero exfpectandum in univerfum ab eo? Qui repit in purpuris, & in deliciis educatur. Cui inquam adolefcenti ut Dei filio, & cui regnanti ut Deo adulari, mos eft, magnis, parvis civitatibus communis, qui femper vituperabitur & retinebitur. Cupida enim aut pavida funt, quæ circa ingenia: locumque veri affectus fermo quæfitus, aut brevis affenfus obtinet. Sua cuique utilitas eft: atque cum fortuna Principis, quam cum ipfo loqui, tutius fuerit. Sed plurimum inde mali: primum infcitia rei patriæ, ut exteræ, deinde faftidium humani generis, ut alieni fanguinis. Quæ vero fuperbia, legum ignara, fuorumque incuriofa, cum obfequium in civitate obnoxia, tum odium in ea, quæ juris fui, parit. Servus qui nafcitur, vocabulo libertatis non infvefcit: qui fit, ejus ufui desvefcit: & fuam quisque fervitutem inter verbera & contumelias quotidie haud ægre patitur. Superiori autem ut legi qui paret, is præftantiæ fuæ memor, obfiftit imperio, fed confilio trahitur. Nec equo no-

nobili virga opus. Tam altæ vero indolis degener Indus, non Svecus fuit: quasi quæ sui cuique cœli temperies est, clementia aut rigor, ingenium moresque finxerit. Subacta est Svecia; sed ut pareat, nondum, ut serviat. Atque inde hæc honeste ambitiosa. Amat, ubi amatur. Liber hic affectus est. Neque locus ei fuerit, ubi unus sibi dominus, ceteri servi videbuntur. Offensæque, ut dominationis, ille impatiens, nec facile tum revocabilis. Lenta septentrionis ingenia. Tarde oderunt; ubi vero iræ se tradiderint, in gratiam reducere, operosum erit. Quare ita hæc regenda, ut læsisse se, non læsa videantur.

Latet vero, qua lege fatali Gustavus Adolphus non satis hæc intellexerit aut meminerit. Scilicet, qui ad regni, cur non idem ad animi primam sortem natus fuerit, non patet. Neque enim, quod mediæ esse solet, consulere, quid in rem esset, ipse potuit, nec, quod extremæ, bene monenti obedire voluit. Quam vero judicii, sui impotentiam, alieni impatientiam, fortuna deprehendit. Tamen quoad privatus, vita moribusque ille egregius. Et nisi imperasset, dignus imperio visus est.

Sic

Sic honeſtior, quam utilis, rei ſuæ militaris ratio cognita eſt. Sedere in inſidiis, & fraude, non acie, decernere, dignum vulpe putavit. Ita vero, & dum virtute quam arte hoſtem vincere maluit, ipſe victus eſt. Quomodo & quod bellum geſſit, id illi ultimum, & reipublicæ prope ſupremum fuit.

Pari modo (quod autem ex virtute vitium fuit) quo melior fidei obligatæ cuſtos, eo acrior illius violatæ vindex innotuit. Injuriæ altius penetrabant: & implacabilius iraſcebatur. Tamen (quod nec minus ex vitio virtus fuit) iras non fallacibus blanditiis velavit, ut auctas promeret. Qui intus, idem palam cognitus eſt. Atque ut ſimulare, ſic diſſimulare neſciit. Quo autem factum eſt, ut, quas ſuſceperat, inimicitias perſeverantius, quam oblique, geſſerit: ſicut in bello etiam juſta rectaque acies placuit. Quamquam vereor, ne privato odio ſine publico impendio ſatisfactum non fuerit. In diſcrimine autem ponatur, magisne pertinacia inimicitiæ arguatur, an amicitiæ conſtantia laudetur. Utcumque vero hoc animadverſum erit, hoſti ſollerti cavere licuit. Ipſe cupidus vindictæ, ſed ſui negligens, in ipſa tela irruit.

Pie-

Pietas denique, quæ aliis profuit, ipsi nocuit. Tamen, quod mirum, hæc non callida, & temporaria, fingendis virtutibus erudita, probumque magis vultum, quam animum ostentans; sed similis suo ingenio, simplex & ingenua fuit. Religionis ipsa facies, non imago monstrata est. Atque hominem fallere qui noluit, quomodo Deum potuit? Se ipse fefellit. Nam superstitioni, imbecillis animi vitio, obnoxius erat. Eodemque actu ille credulus. Etiam oracula sciscitari placuit. Sed hæc ambigua. Quæ vero in creduli vanitatem interpretari si quis ausus sit, satis in sua conscientia erit pœnæ. Iis enim perniciose in publicum addita fides est. Scilicet Noster non dubitavit, quin recuperandæ firmandæque æternitati rerum, paci gentium, & incolumitati generis humani natus esset.

Prodierat in medium vir, quo non alius memorabilior; virtute vero, an fortuna major, incertum est. Aliena discordia in rem suam versa: hostesque dum singuli pugnarunt, universi victi sunt. Subiit jam animum hæc cogitatio, hæc formido: "imminet victor orbis. Neque, qui septen"trionis sinus est, ille tutus: quo secretior, eo su-

"spec-

"spectior. Meliorque ad sarcinas nati animalis, "quam victæ gentis, conditio est. Datur enim se"mel venum bos vel equus; tributis vero & me"tallis pacem indies emere, servientium pœna est. "Ergo discrimini occurrendum. Nec imitandæ "ignobiles feræ, quæ ipso agminis sono depelli "solent. Arma fortibus honesta. Occumbere, si "sors ita tulerit, in terrarum & naturæ fine haud "inglorium fuerit". Hinc votum & animus Regi, cui avita tam gloria, quam libertas, cara erat. Rei magnitudini ille quidem impar: spes tamen & subsidium in suo auspicio, virtute ducum, opera militum, fideque externi auxilii ponebatur.

Si vero ipse consilium periculi suscipiens, non æstimaverit, an sibi egregium, reipublicæ utile, & promtum affectu, aut certe non arduum esset, & si id exsequens, fortunam magis quam rationem secutus sit, ætatis hoc vitium fuit. Temera juventus. Sic natura in culpa erat, si, quæ rei gerendæ præficeret, ingenia in magno ambientium numero distinguere non potuerit. Quomodo tribuendum erit fortunæ, utrimque ancipiti, hinc secundæ & superbæ, si aliena nec verba auribus nec con-

consilia animo accipere voluerit, inde adversæ & cæcæ, si, ut in re trepida fit, vetare, quæ jusserat, jubere, quæ vetuerat, necesse habuerit. Dux vicissim reus, si linguæ in pace ferox, haud æque in certamine fortis manu fuerit. Idemque pejor hoste, si perfidus item innotuerit. Cum hoc tantum in acie, cum illo omni loco & tempore confligendum est. Innocens vero miles, si, ubi male imperatum fuit, male obedierit. Quando non dux pro Principe, nec eques vel pedes pro duce pugnaverit, Segniter vel contumaciter tum stipendia facit, communique clade & ignominia lætatur. Merito demum malus habendus erit Socius, si fas gentium, jus hostium, sacrumque legationis, fidem loquor socialem, timide aut ignave, ne dicam ambitiose aut avare, dominationi alienæ venalem habuerit. Suam Rex noster juxta religionem coluit. Atque rupti fœderis, sic persvasum erat, ut testis, ita ultor Deus futurus: & fœdifragus, in Deum magis quam in homines peccans, pluviis ignibus aut lapidibus brevi periturus. Quæ autem persvasio decepit. Deo Dei injuriæ curæ. Hoc certum; sed quando, per quem, & quo supplicio eas sit vindicaturus, incertum. Arcanum hoc cœli: quod

re-

reverentius ignoratur, quam investigatur. Et eventus docuit. Numen alieni imperii Rex precibus fatigaverat. Triste sui fatum appetebat: & manifesta cœlo terraque prodigia.

Ruit summa hiems: coit unda: gelu ripas jungit: & hostis mare pedibus transcendit. Sic ab ortu. Neque minus rutila & sæva ab occasu facies. Consurgit nebula, in nostris Alpibus nata, procellæque, dudum extrinsecus minaci, obvia. Jam pavor, ac utriusque concursu miserabile bellum, sicut nubium conflictu terribile fulmen, exardesceret. Pereunte consilio, obsequium perierat: nec aliud erat remedium, quam ut corpus reipublicæ alio animo regeretur. Verum id inexpertum & periculosum. Sed, urgente necessitate, cunctationi non erat locus, ubi facto opus: quemadmodum magno etiam conatui opportuna audacia fuit. Transferendum populi Svecani imperium unus suscepit: & (quod nulla annalium memoria habet) tantam molem parva manu, & sine ullius pernicie, hic transtulit. Propitius autem Deus; qui, dedito Gustavo Adolpho piaculo, placatus fuit.

Quid ergo? Nos implacabiles erimus? Fortunam & mores non distinguere, malignum foret.

Omnia

Omnia (veritas hæc ſempiterna) nutu divino fors verſat. Conjunctus rerum humanarum orbis, ſeriesque cauſſarum, eventuum congruens. Sic etiam hic imminentium ordo fuit, ut noſtrum ævum atrox prœliis, ipſaque pace ambiguum eſſet. Quem vero Noſter Princeps ſic ſervavit, ut cum alius quisque ſervitii quam belli fortunam experiri mallet, libertatis ut terrarum ille extremus, de hac potius quam de ſalute pugnare vellet. Quamquam tali conſilio, non ſine ſuo ac reipublicæ exitio, ſtetit, cecidit. Quis autem ſola ſapientia regnavit? Talem fruſtra quæſivit in ſua republica Plato, in Cyro Xenophon, in Ulyſſe Homerus. Non omnis in omni genere excellit. Enituit aliquis in bello, ſed in pace obſolevit. Noſtrum, non arma, ſed toga honeſtavit. Unus & perpetuus fuit rigor juris. Nec unquam potenti, quam inopi, amico, quam inimico, melior ille cognitus. Et par continentiæ laus. Quæ tanto major, quanto in ſumma fortuna cupidius quis egerit. Neque minor humanitatis tenor. Atque is, ut non gratiæ, ita nec ſeveritatis expers. Quæ vero virtutes totidem repercuſſæ pietatis lumina. Supremaque omnium fuit, exſolviſſe religionem, qua pro republica ſe obſtrin-

xerat. Irritâre victorem, pubemque & virtutem Svecanam ultra periculis objicere, nimis grande sui pretium statuit. Imperiumque, quo oneratus magis, quam honoratus est, antiquavit, abdicavit. Nec deinceps sui questus auditi. Suscepit vicissim sollemnia hæc vota, ut Deus, si dare noluit, prospere bellum se gerere, satis habeat, vidisse se solio deturbatum, omnemque iram civilem hosti in exitium vertat; & ut populus Svecanus, si de ejus fide, amore in pace haud male meruit, sui memoriam retineat, suæque familiæ, quæ insons culpæ, nec nisi luctum suo ex fastigio adepta, animam trahit precariam, misereatur. Quæ & vota solvit, alieno imperio, quam suo, felicior futurus.

Recordantes vero præterita, utimur præsentibus, & futura ominamur. Resedit tempestas, quæ prospectum & mentem ademerat. Siderique hebescenti claritudo reddita. Neque fieri potuit, ut, quod imperii est Svecani (cœli septentrionalis hoc arcanum) occideret. Transiit tantum. Ejusque qui dies Gustavo Adolpho ultimus, is Carolo primus illuxit: hoc autem discrimine, quod quam lugubris alter, & quasi in publico funere, tam fau-

ſto alter omine lætus fuit. Nec ulli auſpicio major fides. Qui enim ad gubernacula reipublicæ ſedet, ſatis experientiæ & ætatis habet. Cauta ſenectus. Explevit ſexageſimum & unum annum, grande mortalis ævi ſpatium, idemque optimus agendi magiſter. Tempus eſt, quod hominem prudentiorem facit. Neque alio plus ſapere licuit. Tam multiplices rerum humanarum caſus, in diverſa parte terrarum, & varia ſorte, lætos, atroces, noſtra ætas vidit. Quot vero monimenta, totidem, quæ meliora præceptis, exempla. Alienaque ex ſorte ſuam æſtimare licuit. Neque, & ut in ſcena, hæc adumbrata. Ipſa ſpectata eſt: quantoque ſpecie manifeſtior, tanto uſu melior.

Præpropero & triſti fato Guſtavus III conceſſerat. Et in ancipiti tum reſpublica. Impuber enim erat, qui in regnum paternum ſuccederet. Cui autem ad puberem ætatem id incolume ſub tutela Patrui manſit. Tanta rei ſummæ fides in Carolo Principe fuit. Neque minor illius adminiſtrandæ prudentia. Fœcundum id etiam tempus fuit ingeniorum, quæ pro veteribus & certis ancipitia & nova maluerunt. Paſſim clandeſtini cœtus, aut li-

literarum ſecreta. Conſilioque ne vis deeſſet, item in partes accita fuit gens, quæ callida & potens. Peſſimum vero facinus proviſu periculi & diſpoſitu remedii fruſtra fuit.

Rebus ſic domi compoſitis, haud minor moles ob externas ſupererat. Contulerunt inter ſe arma gentes, quibus non aliæ validiores. Quamvis in ambiguo ſit, majoribusne viribus, an iris certatum fuerit: ſævientibus invicem, qui principatus nomen in odio, & qui in amore habuerunt: ſævitiæque vim miniſtrante, hinc mala conſcientia, damnatique Regis imagine, inde furore, peſſimique exempli ultione. Quorum vero contactu nos illæſi ſtetimus, pace & Principe, qui tantas acies & procellas eludere novit, in univerſum uſi.

Tam egregie vicem alienam Hic ſuſtinuit. Qua ſpe tum futuri ſuam præſtabit? Acceſſit ad imperium invitus: quod erat bene imperaturi. Eſſe, quod fuerat, maluit. Id felicius; ſed non erat liberum. Capeſſere rempublicam, quia ſervanda erat, oportebat. Miſera enim hæc, ſive terreſtris, ſive navalis; robore militum affecto,

ra

raroque remigio. Supplere autem legiones, classesque reficere, res erit multi temporis magnæque curæ. Nam mala, vitio imbecillitatis humanæ, remediis celeriora sunt. Sic etiam moreque arboris, lente augescentis, sed cito vanescentis, diu quæ parta fuit felicitas, ea brevi spatio pessumdata est, sed non nisi longo revocabitur. Decessit quidem, fuso sanguine, quæ febris tenuit. Tamen, venis abruptis, hians vulnus: neque sine quiete id coalescet. Ex quo pace opus fuit. Quæ etiam accepta est, quamvis neçessaria magis, quam honesta. Obsessa erat patria: & in nostris prope portis signa hostis visa. Tertiam regni partem ille ademerat, totumque appetebat. Quæ enim opulentiæ, eadem potentiæ cupiditas est. Cum magnitudine crescit. Utendum itaque necessitate fuit. Relictumque pro munere, velut amissum pro damno habitum est. Nihilo tamen minus, utcumque parvum, id suffecturum, modo diligenter & parce agatur. Neque non hoc fiet. Pauperes inopia, divites pudor coget. Bonique mores, quam bonæ leges, plus valebunt. Torpuerant artium, literarum studia: ob communem Martem ademto negotiandi, otiandi commercio. Jam vero reddita sibi in-

invicem, terra mari, mareque terræ. Atque, quæ tellus genuit, induſtria aluit, & ingenium tulit, devehere in tranquillo permiſſum erit. Sicut & propter eandem rationem agris, officinis, ſcholis certatim illaborabitur.

Præclarus belli haud minor libertatis moderator Carolus fuit. Infinita fere poteſtas regia erat: eaque, ut nimia, ſæpius in vitium verſa. Cui autem ut modus ſtatueretur, ad populum Princeps hic tulit. Atque placuit, ut auctoritate ſvadendi jubendique facultate reſpublica conſtitueretur. Ita temperans Regii juris verecundia Senatorii ordinis futura. Cœloque, quod aſperitatem & angulos non habet, quo ſimilius tale regimen, eo felicius. Sed eodem actu rarum hoc exemplum, aliquem Principem de ſuo jure ceſſiſſe.

Res vero publica ſi immortalis, Rex mortalis eſt. Vergit etiam ætas, & valetudo ingraveſcit. In affecto autem corpore mens provida. Proviſoque regni hærede, orbus videri deſiit. Ille Chriſtianus Auguſtus, Dux Holſatiæ Auguſtenburgenſis. Quem vero Rex in regni comitiis commen-

mendavit, sui judicii judice populo Svecano facto. Nam sine ambitione quod imperium accepit, etiam tradere voluit. Aliæ & majores ostentatæ conditiones: hæc optima visa est. Stirps præpotentium tam infida, quam ipsi. Quæ Nostri est, Cæsarum non longa serie tumescet. Ita natus, ita institutus fuit. Civile ingenium, & domi militiæque id clarum. Quantamque sui exspectationem fecit? qui, allato fortunæ suæ nuntio, nullum exsultantis animi indicium in vultu, habitu prodidit; quasi imperare magis posset, quam vellet. Intercessurus etiam rogationi fuisset, si, quod populus Svecanus sciverat, prohibere licuisset. Nec aliter acceptum a nobis omen est, cujus fidem ipse implebit.

Tot tantaque sui documenta Rex noster edidit, & plura adjiciet: res diversissimas, ut principatum & libertatem, sic majestatem & humanitatem, gravitatem & simplicitatem, auctoritatem & facilitatem juncturus: atque Rex titulis & imaginibus, Dux consilio & ratione, & post tanta nomina Pater cura & amore futurus.

Regis vero auspiciis æmula civium studia. Primum majestati reverentia constabit. Quæ vero, ful-

fulgens & fulminea, uni collata fuit, ut audacia facilius coërceretur. Nam unum ubi omnes respiciunt, divinitatis opinio nascitur. Atque, ut unus Deus, aut (quibus Dei loco honorem habere mos fuit) unus sol, una luna, ita unus rex, & hoc nomine is sanctus & venerandus.

Tum sibi audientiam potestas faciet. Princeps reipublicæ, ut mens corpori, præest. Jussaque exsequi potius, quam de ratione jussorum anquirere oportebit. Quæ enim in cœlis, eadem in terris disciplina est, ut parendo, non sciscitando, regimen virtutis contineatur. Ipse mundus, hæc communis, ampla & illustris domus, contumaciâ everteretur. Imperii vero & obsequii concordiâ res nostra & parva crescet & florebit.

Deinde par gratia beneficio referenda. Suæ ætati, valetudini Rex non pepercit, modo nobis consuleret. Carique si sunt parentes, quibus vitam, caritate præcipuus erit Princeps, cui salutem debemus. Mutuus amor. Et ex natura est, ut affectus affectui, veluti tectum voci, respondeat. Qui tamen concentus nec inanis esse debet. Inter

do-

dominantes falsa quies est. Quam vero non sine armis tueri, ut nec arma sine stipendiis, aut stipendia sine tributis parare in potestate erit. Exhausto tum ærario pecuniâ subvenire, præsidium in bello, sicut decus in pace, id futurum. Quomodo nec minus onerum nos tolerantes erimus. Quod vero regiminis est, hoc gravissimum. Hominibus vice Numinis præesse, Principi datum est, ubique vero ut Numen, honestatis fautorem, sceleris vindicem, adesse, id ipsi non additum. Itaque, & si quando, qui summus imperii, idem non optimus consilii repertus fuerit, melior quisquis sit alius ne putetur. Periculosa reipublicæ commutatio est. Sic & medendi artis periti nonnulla in corpore relinquere jubent, quæ mota graviori morbo caussam & initia struerent. Neque, si quid damni in tecto fuerit, domum illico demoliri convenit. Consultius, ubi quid male imperatum fuerit, tam æquo id animo, quam mistos grandine imbres patiemur. Quemadmodum intempestas cœli sterilitatem anni non ubique affert: comperto item, tonitrua & fulgura aciem pugnantium sæpius diremisse: iisque paucis, qui de cœlo tacti occubuerunt. Sed mira naturæ humanæ diversitas est. Imperantis ne-

neque diligentia, neque negligentia placet: nec severitas, nec lenitas probatur. Subditique similes sunt infantibus, qui accipiunt, tamen plorant. Nobis autem melius cautum. Pigrum manentemque aërem turbines, tempestates digerunt: motusque, qui præcessere, longam gratamque pacem portendunt.

Sed genus humanum credentibus infidum, & sperantibus fallax est. Tam imperii quam obsequii ratio anceps. Ergo metus a Deo adjiciendus fuit. Atque religioni res subjecta. Pactus est Princeps cum Deo, ut, si bene rempublicam, & ex utilitate omnium regat, sospitem se præstet. Nos, attendente eodem Numine, verba expressimus, quibus, si juratam fidem fefellerimus, caput consecravimus. Quæ vero conscientia, utrimque tam sancte obstricta, ubi liberabitur, suo cœlo Deus vacabit.

IX. PROGRAMMA,

CUM

SOLLEMNIA PROMOTIONIS PHILOSOPHICÆ ANNO MDCCXC CELEBRARENTUR.

Habet hoc universa rerum natura, ut omnes ejus partes non modo optima ex materia, sed etiam pulcherrima specie effictæ sint. Sic & quicquid orbis terrarum vel in suo sinu fovet, vel in aperto collocavit, sive animalium, sive plantarum, sive metallorum sit genus, variis nos modis, vel figuræ & coloris elegantia, vel odoris & saporis suavitate, vel sensus & tactus lævitate afficit & delectat. Constituit enim Deus, ut cum rerum necessitate vel utilitate venustas vel voluptas conjungeretur. Tantam vero naturæ diligentiam in ornatu rerum, quæ vita gaudent vel carent, velut ducem & magistram in cultu verborum, quæ rerum caussa reperta sunt, sequi & imitari nobis mos sit & religio. Nec aliquid magis ad humanitatem pertinet, quam ambitiose contendere, ut, quo bruta animantia præstamus,

mus, in hoc homines ipsos antecedere velimus, usuque orationis vel soli vel cum paucis eminere possimus. Ut hominis ornamentum est ingenium, ita ingenii illustramentum est eloquentia. Quæ, si quando statum civitatum, urbium hominumque turbaverit, tamen eandem cum medicina ipsaque sapientia rationem habet, ut plus boni, quam mali attulerit. Si autem ratio, qua ad Deum proxime accedimus, sine oratione, qua a cæteris animalibus maxime differimus, parum valet, nullam rem tam amore & labore dignam, quam orandi facultatem putemus. Qua enim sublata, cætera muta essent & jejuna, sine laude præsentis ætatis, sine memoria posteritatis; magnaque cogitatio sua imagine, nobilis virtus suo interprete careret. Tanta est vis vocis, ut saxa & solitudines ei respondeant; tanta gratia oratoris, ut barbaræ etiam gentes dicto ejus obediant; quod tacita & inops dicendi sapientia efficere non potest.

Sed eloquentia non posita est in recte loquendi scribendique scientia, quod magis vitio erroris caret, quam virtute aliqua excellit, sed in varie, copiose & ornate dicendi facultate ea ver-

ſatur; quod quo paucioribus contingit, eo plus admirationis vel laudis habet. Non anguſtis circulis, ſpecioſis quæſtiunculis, vocum ſyllabis, & incîſorum intervallis, ſed totius mundi limitibus, maximis rerum momentis, ſapientiſſimis ſententiis, graviſſimisque verbis continetur. Adminiſtra eſt divinæ religionis & humani officii, veritatis decus, virtutis comes, teſtis temporum & antiquitatis laudatrix. Ejusque voce multitudo vaga in ſocietates cogitur, auctoritate ſervitus libertati anteponitur, & claritate vota pietatisque præcepta commendantur. Ut ſculptor ſimulacrum oris & corporis marmore aut ære fingit, ita orator formam famamque mentis ſuo ingenio & ex aliena virtute exprimit. Profecto ut quisque dicendi vi & arte maxime valet, ita aliorum animos, quo velit, facillime impellit, ſive in commune conſulit, ſive ſupplicibus opem fert, ſive improbos provocat. Neque alius illa acrius vel cohortes ad virtutem adhortatur, vel animos a vitiis avocat, vel bonos laudat, vel mœſtos conſolatur. Semperque tenet arma, naturæ & doctrinæ ſubſidia, quibus ipſe velut perpetua quadam poteſtate munitus, fraudem inimicorum in perniciem, cauſſas amicorum in ſalu-

lutem, languentis populi ſtudia in animi magnitudinem, effrenati in miſericordiam vertit. Quid multa? Nihil perfecti oratoris ſapientia vel ad dignitatem imperii amplius, vel ad parandas amicitias melius, vel ad adſciſcendas nationes fortius eſt. Nullaque cantilena moderatæ orationis numero opportune cadente dulcior eſt: nullum carmen apta inchoandi claudendique ſententias ratione ad delectationem aptius: nullus actor in imitatione & fabula, quam orator in veritate & cauſſa, ad ciendum motum animorum jucundior.

Habet vero hoc commune cum virtute dicendi peritia, ut plures eam laudent, quam teneant, plures admirentur, quam colant. Quo illuſtrior enim eſt bene dicendi profeſſio, eo plus difficultatis eam profeſſuro affert. Eoque ſpectat, ut, etſi nec decora diſcentium ingenia, nec magna magiſtrorum ſtudia, nec infinita diſciplinarum varietas, nec ampliſſima ad opes & honores propoſita præmia defuerint, tamen plures in quoque alio quam hoc ſcientiæ genere excelluerint. Quod eo magis mirandum eſt, quod reliquæ diſciplinæ in ſubtili diſputatione & veri bonique perſpicientia

ver-

versantur, eloquentia autem in medio & communi hominum sermone posita est; ita ut, qui in philosophia, quod ab intelligentia imperitorum maxime remotum sit, acutissime & celerrime videre & rationem explicare possit, prudentissimus & sapientissimus, qui autem in dicendo a vulgari orationis genere communisque sensus consvetudine recedat, stultissimus & ineptissimus habeatur. Namque omnes, quorum opera vel recondita in arte & rerum obscuritate, vel in differendi & lubrica loca discernendi ratione, vel in vita & morum disciplina versata est, omnem fere illarum artium vim & magnitudinem animo & studio consecuti sunt. Qui autem in dicendi facultate otium & studium consumserunt, hoc operæ pretium tulerunt, ut pauci perdiu clari, & vix singulis ætatibus singuli tolerabiles vel poëtæ vel oratores exstiterint. Sic credere fas est, eloquentiam magnum aliquid & singulare esse, quod quis prudentius optaverit, quam speraverit.

Quæ autem res admirationem non habebit, ubi intellectum fuerit, vim eloquentiæ & numen latissime patere, & in omnibus disciplinis cerni: in

qui-

quibus singulis laborare, magni erit studii, in quibus universis excellere, divini id ingenii. Aliqua matheseos cognitio futuro oratori non modo semper utilis, sed etiam frequenter necessaria est. Hujus enim amore & studio vis paratur ingenio, nova subtiliter inveniendi, & judicio facultas, incerta ex certis acriter probandi. Ut quisque in hac doctrina maxime versatus erit, ita facillime magnitudinem cogitationi, ordinem rebus, & lucem verbis adhibebit: nihil cum tædio adder, nihil cum periculo detraher. Inter Geometram & Oratorem hoc interest, quod ille lineis, terminis & mensuris, hic verbis, sententiis & figuris sublimia & magnifica pro re nata assequitur. Athenienses defectione solis perculsos, exposita hujus rei ratione, metu liberavit Pericles: pari modo L. Pauli militibus, qui, ubi luna claro cœlò languescere visa est, miraculo quasi defixi steterunt, spem & animum fecit S. Gallus.

Nec dialecticæ rudis sit orator, non quasi secretis illius & anxie quæsitis quæstionibus, quæ plus subtilitatis & ambitionis, quam amoris & utilitatis habent, suas vires consumat, sed civilibus

re-

rerum experimentis & operibus, quæ ad cogitandum & judicandum plurimum adjumenti adferunt, eas exerceat & augeat. Oratoris enim eſt, non modo docere, ſed etiam delectare, vel delectando docere. Illius magis intereſt, res mente facile concipere, quam earum in animo formas & origines curioſe ſcrutari, magis clara & ſignificantia verba apte collocare, quam ambigua & perplexa loca ſollicite reſolvere, magis populariter definire, quam ſubtiliter dividere, magis ornate & graviter dicere, quam callide & ſollerter concludere.

Partem vero moralem præcipuo nomine ſibi vindicat orator. Nulla materia ei proponitur, tractanda & amplificanda, quæ non vita moribusque hominum continetur. In conſiliis nulla ratio ſvadendi ab utilis vel honeſti, æqui vel juſti quæſtione ſejuncta eſt; & in panegyricis laudandi officium in ſpecies virtutum, juſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ, cæterarumque dividitur: de quibus omnibus, ſi vim & naturam humanæ indolis & conſvetudinis non penitus perſpexerit, non melius dicet, quam pictor ſimilitudinem rei, quam non vidit, expreſſerit.

Naturæ etiam cognitio tanto plus ad vim dicendi adferet, quanto quis ſublimius de divinis, quam de humanis rebus, de cœleſti animi origine, religione templorum & gentium cærimoniis, quam de principis natali ſplendore, ſanctitate juris civilis, imperii magnitudine aliisque diſſeruerit. Imagines vero, quarum ſummam vim & copiam univerſitas rerum præbet, diurni ſolis ſplendorem, lunæ pernoctis lucem, ſiderum fulgorem, vim fulminis, celeritatem fluminis, floriſque pulchritudinem habent. Quibus omnibus inſurgit animus, ſuoque in rebus ſpiritu, in verbis nitore, & in affectibus motu ſublimis abit. Profecto Demoſthenes & Cicero non tantam in dicendo vim & ubertatem conſecuti fuiſſent, ſi ſuam mentem, non totius mundi limitibus, ſed conſæpto fori & curiæ parietibus circumſcripſiſſent.

Ut autem orator dictis non tam fidem ex ſuo, quam auctoritatem ex alieno ingenio addere voluiſſe videatur, omnem omnis ætatis famam & memoriam amplecti debet. Opus enim habet vi & copia exemplorum, veterum, novorum, quibus ſuam orationem probet vel illuſtret. Nec hoc ſatis. Quæ di-

dicit, non minus poëticis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis vera vel verisimilia exhibeat. Id enim homini a natura tributum est, ut specioso & supra vires naturæ hominumque ficto, quod timidam sui admirationem facit, vehementius, quam recto & sincero, quod simplicem veritatis imaginem exprimit, commoveatur.

Sic nemo magnus erit orator, nisi qui disciplinarum vel varietate ingenium, vel gravitate judicium, vel copia memoriam excoluerit & firmaverit. Quæ rerum scientia si defuerit, inanis est & puerilis, jejuna & ridicula, omnis verborum volubilitas. Quanto autem difficilius est, semper nova & inopinata præclare invenire, apte disponere, & varie figurare, quam vetera & nota vere cognoscere, distincte narrare, & compendiose probare, tanto eloquentia cæteras disciplinas difficultate studii superat. In geometria magnitudines, spatia & figuras diligenter metiri, in astronomia numerum stellarum subtiliter exsequi, in physica naturæ arcana sollerter investigare, & in philosophia dicta & facta hominum intelligenter considera-

copiose, breviter, studiose, negligenter, remisse, graviter, blande, acriter dicet. Adhæc cum infiniti sunt modi rem exponendi, tum qui ita dicere velit, ut melius dici non possit, multo tempore & magna cura ac cogitatione opus habebit. Accedit, quod in aliis disciplinis, quæ non intelligimus, ea miramur: in sermone autem, quicquid non facile percipimus, id reprehendimus. Quare divinum ille habebit ingenium, qui de quacumque re, quæ sub sensum & intelligentiam communem cadit, ita dicere possit, ut prudentibus diserte, rudibus jucunde, omnibus vere dixisse videatur. Ceterum, in reliquis disciplinis difficile est, quibusdam tantum & peritis placere; in partibus eloquentiæ difficillimum erit, etiam imperitis non displicere. Cumulatque hanc difficultatem, quod vitia in dictis non animi modo, sed aurium etiam judicio noscuntur. Unde orator, more illius, qui modos facturus spatia nervorum plurima varietate complet, suam orationem, ubicumque par sit, summittet, augebit, extenuabit, inflabit, variabit, distinguet. Quod quo præclarius, eo difficicius est artis & naturæ opus. Quo etiam addendum, quod, cum mediocria in aliis, tum nonnisi summa in oratore laudantur; quo-

quoniam ea eſt hominis natura, ut, de quibus facile judicat, facile quoque ſe efficere poſſe putet. Et denique ad ceteras artes homo, quod fit vulgo, inſtituitur, ad hanc vero, quod raro accidit, naſcitur. Singulares enim animi dotes, ad inveniendum celeres, ad cogitandum faciles, & ad ornandum uberes, adeſſe debent. Sufficit mathematico judicium, dialectico acumen, & poëtæ ingenium. Oratoris autem virtus & honos eſt, illius evidentiam, iſtius rationem, & hujus jucunditatem complecti. Quibus ſi caruerit, nec ſententias ad docendum aptas, nec voces ad commovendum jucundas, nec figuras ad delectandum ſplendidas invenerit.

Quod autem ſcriptoribus licet, ut in principio operis præfentur, id etiam mihi jam licuit, ut ſub adventum feſtivi diei, quo XL Juvenes, doctrina moribusque ſpectatos, ex conſenſu Ampliſſimi Ordinis & auctoritate Excellentiſſimi Cancellarii, lauro capitisque honore coronabo, hæc de ſtudii oratorii præſtantia & difficultate ſcriberem. Neque ab iis, quæ parva illius diei parte dicere conſtitui, aliena hæc eſſe putavi. Dicam enim, quid mihi

in

in caussa fuisse visum sit, "cur Græca & Romana antiquitas in eloquentia primas egerit, posterior autem ætas in secundis aut tertiis constiterit". Quam vero dicendi materiam elegi, non quia illi me parem existimavi, sed ut ingenio sæculi, quo ars oratoria vim suam & impetum resumere cœpit, & amori honestissimæ juventutis, quæ in ludis Scholæ, circulis Gymnasii, & spatiis Academiæ pulcherrimo huic studio se vindicavit, gratum facerem. Si itaque propositæ orationis forma displicuerit, mei certe instituti consilium excusationem habebit.

Atqui ad hæc solennia confluent undique homines, ut nova noscendi vel spectandi amor tulerit. Nulla autem nobis spes est præsentem videndi nostrum Maecenatem, Excellentissimum atque Illustrissimum Regis Regnique Senatorem et Drozetum, Praesidem Dicasteriorum, Academiae hujus Cancellarium, Regiorum Ordinum Equitem et Commendatorem, Comitem ac Dominum CARL AXEL WACHTMEISTER: qui quo longius a nobis abest, eo plus desiderii nobis reliquit. Nec ætas & vale-

valetudo, qua noſter Scaniae Blekingiaeque Epiſcopus, Academiae Pro-Cancellarius, Commendator Ordinis Regii de Stella Boreali, Unus ex XVIII Academiae Svecanae, Eminentiſſimus et Reverendiſſimus D. Doctor OLAVUS CELSIUS premitur, lætitiam fidemque ſuæ nobis facit illuſtris præſentiæ: qui carendi dolor quantus ſit futurus, fruendo tanti Viri ore vultuque didicimus. Tu vero, Eminentiſſime ac Reverendiſſime D. Doctor et Dioeceſeos Scarenſis Epiſcope, THURO WEIDMAN, meam vocem non exſpectas, ſed Juvenes, quos dilexiſti & inſtituiſti, tua ſponte ſequeris. Neque tuæ benevolentiae, quo eos cumque fata tulerint, eos immemores experieris. Vos quoque, Patres Civesque Academici & Urbici, craſtina luce in ſacrata Apollini ſede convenietis, nec per codicillos vocati, nec tempeſtate impediti; ut noſtros Candidatos clariſſimos, futuros Philoſophiæ Magiſtros, quos veſtro vel judicio in ſtudiis, vel conſilio in negotiis, vel animo in officiis complexi eſtis, inter ſtudia populi & gaudia, in templum deducatis, laureatos honores,

quos

quos meruerunt & accipient, agminatim visuri, piaque vota, quæ pro publica & privata salute nobiscum suscepistis, certatim soluturi. Dabam Lond. Goth. die XXII Junii MDCCXC.

X. PROGRAMMA
IN
SECULARI FESTIVITATE,
QUA
MEMORIAM
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
SVECIA
ANNO MDCCXCIII CELEBRARET.

Templa & aras Deo dedicare, hominibus tam pium, quam tecta & mensas sibi parare, honestum fuit. Quomodo etiam, ut ipsa loci altitudo aut so-

solitudo aliquam supremæ rationis & potestatis fidem faceret, sacra antiquitus fieri solebant, aut in vertice montium, quo non alio loco propior ad cœlum aditus patet, aut in umbra nemorum, ubi ipsum silentium adoratur. Satis vero visum non fuit, sanctissima hæc loca singulis aut statutis diebus & dubia adhuc luce petere, soli orienti faciem obvertere, supplices manus in cœlum tollere, & Deum pro se, parentibus, liberis & amicis precari. Sollemnia etiam pietatis, singularia & extraordinaria, instituta fuerunt, cum pro bono publico aut vetera vota solvenda, aut nova suscipienda essent. Magna tum vulgi frequentia, sumtuosi apparatus, & splendida sacrificia. Ratio fuit, ut concursu & spectaculo, majoribus velut organis, animus humanus, sua natura celsus & erectus, in diversum habitum, ab humili in sublimem commoveretur. Eadem enim est pietatis, quæ eloquentiæ natura, ut in opaco & tenebris inter frigidas cogitationes languescat, in media vero luce & magna celebritate ad excitatas & ardentes patescat.

Ut autem sapientes sapientibus, etiam ignotis, amici sunt, ita nulla gens tam barbara & imma-

manis fuit, quæ singulari beneficio a Deo affecta, non illius altari, IGNOTO NUMINI, inscriberet. Tantoque carior hæc ineundæ aut reddendæ gratiæ ratio, quod divina benignitas non ad spem & fortunam dantis, sed ad usum & necessitatem accipientis refertur. Eget nulla re, cui cœlum & sidera, terræ & maria patent, tamen saluti & conservationi hominum consulit; idem lucis & caloris, maturitatis & fructus omnibus largitur, sed nihil exigit. Sol modico accessu & recessu nascendi vim & initia præbet: luna graviditates & partus affert: terra plus reddit, quam accipit. Cujus tamen beneficentiæ merces ex sola ejus conscientia petitur, pietasque satis grande ipsius pretium ducitur.

Hic vero mos, tam sanctus & vetustus, quibus potius, quam nobis colendus? qui Deum, non in immortalium genera aut mortalium species divisum, mutabilem aut interiturum, sed unum & solum, præpotentem & propitium, mundi Conditorem & humani generis Servatorem, intelligimus. Aut quo tempore magis usurpandus? quam cum ad celebrandum diem, quo hæc intelligentia majoribus nostris clara & candida illuxit, ipso etiam

cœli

cœli ordine & motu excitamur. Tertium est seculum, ex quo, quod ultimum in Pontificia servitute, & quod primum in Lutherana libertate fuit, patria vidit. Tantique beneficii si in nostra potestate non fuit oblivisci, nec in ea erit, de illo jam silere. Nostra religio non tanto gaudio suscepta, quanto renovata & illustrata est: nec idem voluptatis assidue percepta habuisset, quod diu desiderata attulit. Non enim liqueret, quantum gratiæ & dignitatis in eo sit, ipsum Deum, qui ultro preces audit, unum se ex nobis appellat, nec minus se hominem fuisse, quam hominibus præesse meminit, sine commendatione, circuitu & largitione adire, nisi ante cognitum fuisset, quantum offensionis & turpitudinis habeat, Romano Pontifici, cujus nec avaritiam dives, nec superbiam pauper effugit, ut tyranno blandiri, aut tanquam numini credere, ejusque sive sedentis pedes sive transeuntis vestigia osculo contingere & venerari.

Puri autem sacri ut hæreditas, ita antiqui etiam exempli imitatio ad nos pertinet. Si primi homines, sancti & beati, cum solis obitum & ortum, lunæ crescentis & senescentis varietatem, stella-

larumque viciſſitudines conſpicerent, Deum eſſe Maximum, exclamarunt; quidni nos, miſeri & laborantes, cum ſalutis noſtræ ſidus, ſeptentrionale & altiſſimum, non occidens & exſurgens, ſed circa polum mundi tranſiens, confecto centum annorum curriculo, ad ſua jam initia redire videmus, Deum eſſe Optimum, conclamemus? Si genti Judæorum per collegia & ædes ſacer fuit ſeptimus dies, quo Deus a ſuis operibus quievit; ſi per arva & campos feſtivus ſeptimus annus, quo terra, inculta & libera, lætiores herbas ſua ſponte protulit; ſi per pagos & oppida Jubilæus ſepties ſeptimus in unum eundemque annum concurrens numerus, quo non ſolum ager quievit, ſed etiam ad ſuum dominum, quicquid fuit ante ſuum, rediit; quo applauſu & gaudio excipietur ille annus & dies, quo non corporis, ſed animi quietem, libertatem, patrimonium, ordinem, dignitatem, hæc omnia non in infimo & glæboſo noſtro orbe, ſed in altiſſimo ſtellarumque pleno loco nobis definita eſſe, nuntiatum eſt? Si vigiliarum & ſomni tempora non diſcriminantur, ſi magna caloris & frigoris patientia, nec ſine periculo intenta oculorum acies eſt, cum terræ umbra ſoli officiens die quaſi

noc-

noctem facit; qui vigor ſit mentis, qui habitus oris, cum de eo tempore non legere, audire, ſed intereſſe, videre nos putabimus, quo hominum coactas in alto nubes atque obſcuras fallendi artes divini luminis & conſilii imago evicit, ſuisque radiis tanquam ſolis ſeptentrionalis, cujus fulgor per ipſam noctem adſpicitur, fugavit? Si primordiis anni civilis, qui rebus caducis & ipſis ſe immutantibus, ſolſtitiis & brumis cognoſcitur, tecta bonis votis & ominibus gratulantium, templaque precibus & laudibus adorantium perſonant; quo gaudii & honoris diſcrimine adventus ſacri anni, qui candore ſempiterno & ſplendidiſſimo lucet, atque id cum ſideribus, ut exilia validiorum exortus obumbret, commune habet, internoſcatur? Si feſta, ſeptenaria, menſtrua, & annua, ſingula in ſingularis beneficii memoriam inſtituta, intermiſſione operis & occupatione pietatis adeo in ſpe & voto habentur, ut ad ea tanquam ad ſanitatem ipſi ægri prorepant; qua religione & cæremonia Jubilæum, quod ſicut extimus cœli orbis reliquos & feſtivos anni circulos ambit & continet, colatur? Quicquid enim de Deo ſciri aut credi debeat, id omne ad hujus normam, Sacri Voluminis auctoritatem, Fidei

dei Apostolicæ simplicitatem, Augustanæ Confessionis judicium, Conciliique Upsaliensis decretum conformetur; ita ut diem hunc festum cæteri omnes tanquam comites sequantur, ejusque radiis accensi convertantur. Ipsa illius præterea raritas caritatem sui facit. Incedit enim tardo compositoque ad majestatem gradu, & per tempora atque spatia, non mortalis, sed immortalis ævi, nec in cœlo, quod oculis videtur, sed circa solem, qui sola mente intelligitur, suos anfractus reditusque habet. Et tandem, ne quid vel minimi momenti ad conciliandum illi favorem omisisse videar, si ad theatra & ludicras artes, quæ corruptæ civitatis argumenta sunt & remedia existimantur, ubi nonnisi ficto carmine & simulata vitæ consvetudine fides veritatis quæritur, læti & alacres convenimus; qui tum moræ erit locus, cum religioni dies se præbet sollemnis, qui animos sensusque non artis, fabulæ & imitationis subsidiis commovebit & delectabit, sed divina sua vi & natura feriet & expugnabit? Discernatur hæc temporum diversitas, & ex ipso genere cæremoniarum gratiarumque, cui, & quando celebrandæ fuerint, cognoscatur.

Hæc

Hæc vidit Rex, quamquam imperio avit paternoque, quod ei ad puberem ætatem alien tutela ſtat incolume, nondum maturus (tanta e indoles): qui quo altius titulo GUSTAV ADOLPHI omineque Svecanæ proſperitati eminet, eo ſanctior vita & moribus adoleſcer ſtudet; qui ut hominibus imperare, fortuitum, i Deo miniſtrare, ſuum putat. Hæc intellexit Prin ceps, qui Regiam illam Piolem, ſpem fidemqu patriæ, fovet & curat, ſuoque nomine virtutes quibus CAROLI omnes, noſtri orbis Mo deratores, monſtrati ſunt, pietatem, juſtitiam, foi titudinem & frugalitatem complectitur: atque ei jus, ſicut Majorum, ætas, non cæca fatorum po teſtate, ſed Providi Numinis conſilio, in tempor Jubilæa incidiſſe exiſtimetur. Si autem in rebu civilibus pro ſuo arbitrio quædam facere, regal eſt; in ſacris nihil niſi ex aliorum judicio decei nere, ſacramentum fuit. Pontifices itaque & ſa pientes in conſilium vocati: ſenes interrogati, ar nalesque aditi: & conſulta ac ſcita ad exemplui antiqui moris, cui ſanctum aliquid & providui ineſſe opinio eſt, compoſita. Placuit itaque, eas dem hoc tempore, quibus olim Sacra Jubilæa coi

feſt

fecta ſunt, religiones & cæremonias, feriatas, feſtas, conſtituere, & per provincias, urbes, vicos publicare: nec displicuit, alias ſuccedentes aut antecedentes, publicique gaudii ſanctiſſimos teſtes ac laudatores, permittere.

Quam vero cœli ſtelliferi poſitionem populique Svecani pietatem habuerunt dies, quibus hæc pietatis ſolennia ætas priſca obivit, eandem proximi referent: mutatis tantum vocabulis, ſignis autem locisque iisdem. Omnes diu deſiderati & memorabiles, ſed non æque clari & illuſtres. Qui anteibit, & qui ſequentur, majeſtatem illius, qui in medio internitebit, ſuo comitatu & apparatu oſtentabunt, nec aliter, quam ut crepuſcula, in comparationem meridiani ſolis ſpectari poterunt. Cum enim illi nonniſi introitu ſacræ quaſi veſperæ, otio litterarum, conceſſu patrum, & frequentia ſtudioſorum læti erunt, tum hic ortu feſtivæ lucis, fine laborum, quiete ruſticantium, ſilentioque negotiantium præcellet.

Hæc autem lætitia, hæc admiratio non in pectore & tacita cogitatione verſabitur, ſed lingua & voce ſe efferet: non tam rationem, quæ remiſ-

se loquitur, appellabit, quam affectus, qui diserte clamant, in suas partes trahet. Nec incerta omnis fides. Illorum enim, qui vere patiuntur, non similes erimus, sed ipsi patiemur, ipsi sonitu tubæ divinæque laudis concentu excitati, ad templum, laudando promptos, adhortando segnes, venire properabimus, ipsi Numen, suis sacris tam propitium, quam in arcu cœlesti manifestum, adorabimus, ipsi radiantis Nominis fulgorem, non sicut Martis rutilum & horridum, sed tanquam Jovis salutarem & prosperum videbimus, ipsi hæc oraculo edita, pactionem sanguine Cristi ictam æque ratam & constantem, ac cœli & terræ, diei & noctis positam legem esse futuram, audiemus *). Stupor inde & admiratio, subiti animi motus, celeres impetus, & in sublime rapti cœloque quasi illati sensus: mox, quod quisque magnificum & grande extrinsecus accepit, habitu suo, colore, sono, gestu, sermone, voce, spiritu, cantu ipse exprimet: & tandem, quod intus hic persensit, id in alios, & ad sui imitationem, transferet. Par ubique gaudium, par exsultatio. Cujus autem socii aut duces, magistri

*) Jerem. XXXIII. 20. 21. 25. 26.

gistri aut interpretes erunt, Oratores in Scholis, Gymnasiis & Academiis, Sacerdotes in templis, coram Deo & apud aras; ut quæ illi humana arte minus persuaserint, hi divina voce animis infundant & affectibus misceant. Nec nos, qui primam Svecani orbis oram tenemus, hujus pietatis extremi erimus. Scania ut humano ita divino cultu citius quacumque alia Sveciæ provincia inclaruit. Nam quemadmodum propter cœli temperiem solique ubertatem tempestive colonos, ita propter loci opportunitatem & meridiem versus positionem Summi Numinis & legatos & ædes mature accepit, ita ut non alia patriæ regio plura & antiquiora, tam templa, Christo consecrata, quam oppida, Christianis culta, ostentare possit. Accedunt liberalissima Regum instituta & litterarum sedes: in quibus cum fama præcipientium numeroque discentium princeps sit Carolina Academia, tum & magnam sui exspectationem sustinet, nec timide & diffidenter eam explebit. Non enim veremur, ne divini & secularis beneficii memores immemoresve videamur, prout ornate aut simpliciter dixerimus. In studio religiosissimi operis spectantur, non ingenii vires, quæ ad contemtum usque Numinis & fa-

fastidium generis humani sæpe superbierunt, sed boni mores, qui ad cultum pietatis virtutisque amorem semper profuerunt. Gratior Deo est, qui optima sentit, quam qui pulcerrima dicit. Tamen nec bonos verba & inventio deficiunt: quæ licet arte & lenociniis careant, tamen natura & veritate ornantur.

Sic & nos, qui jussu Optimi Principis, decreto Amplissimi Ordinis, et fiducia bonæ mentis, ea præibimus verba, quibus hæc Academia pro tuenda & amplificanda religione Christiana se devoveat, si satis pie dixerimus, nec parum diserte dixisse videbimur. Sex erimus (tantæ enim rei non unus suffecerit), nostraque opera sic dispensabitur. Præfari, & Auditores ad reliqua benevolos, attentos & dociles reddere, hæc mei officii ratio, hæc difficultas erit. Ut autem narrandi quædam dignitas cum sacro dicendi genere, in aliis adstricto, in aliis remisso, consentiat, surgent JOHAN LUNDBLAD, & ANDREAS HYLANDER, Professores Celeberrimi, qui efficient, alter suavitate carminis, ut rem divinam ultro amemus, alter gravitate orationis, ut eam necessario ag-

agnoſcamus. Perorabunt N. H. Sjöborg, J. Sommar, & M. Stoltz, Magiſtri clariſſimi, qui, quos affectus ipſi pro gradu ætatis facillime induerint, aliis etiam pro ſui ingenii exſpectatione optime tribuent, omnisque humanæ felicitatis imagine, amiſſæ dolore, recuperatæ gaudio, æternæque fiducia animos audientium concitabunt & tenebunt. Sex itaque dierum erit orbis, quem hæc oratoria feſtivitas per longiora, breviora ſpatia & intervalla percurret, & quidem craſtino ſuam viam & rationem ingredietur, nec niſi diebus Jubilæo & Solis, qui Deo ſacri, conſiſtet, donec curſum conficiat. Satietatem vero aurium ſi longe circumductu concinnitas fecerit, eam vincet huc & illuc illata quies.

Tot tantæque ſunt rationes, quæ ſingulæ perſvadent, & univerſæ imperant, ut Vos omnes, quos honoris gratia in principio Programmatis appellavi, omiſſis civilibus negotiis & domeſticis curis, ad hanc ſcenam & pompam, nonniſi centeſimo quovis anno celebrandam, ubi ſignum ære datum fuerit, frequentes conveniatis. Non Regibus hæc adulatio, aut civibus hic honos, ſed Deo hæc pietas.

No-

Nostros autem choros, sacros & votivos, ducere, quam libenter vellet noster Cancellarius, Regni Sveciæ Drotzetus, Regiorum Dicasteriorum Præses, Regiorum Ordinum Eques & Commendator, Excellentissimus & Celsissimus Comes & Dominus CAROLUS AXEL WACHTMEISTER, quam libenter Noster Pro-Cancellarius, Scaniæ & Blekingiæ Episcopus, Regii Ordinis de Stella Polari Commendator, Unus ex Octodecim Academiæ Svecanæ, Reverendissimus Dominus Doctor OLAVUS CELSIUS? Sed voto fortuna non respondebit: quæ impedient, cognita sunt. Nos, qui præsentes erimus, nostra & aliena vice fungemur, & Deum, qui propter vim Maximus, & propter beneficia Optimus appellatur, certatim precabimur, ut religionem, quam nobis dedit, perpetuam quoque esse velit.

Dabam Londini Gothor. d. VI Martii MDCCXCIII.

XI. PROGRAMMA,

CUM

CONSULATUS ACADEMICUS

DEPONERETUR.

Sed me vera pro gratis loqui, etsi meum ingenium non moneret, necessitas cogit.

LIVIUS.

Consulatum, quem varia sorte per annum gessi, animo lætiori trado, quam obtinui. Præterquam enim quod sciebam, cum fortuna rationem non æquari, is erat in urbe, cum magistratum inirem, status rerum, ea mens juventutis & plebis, ut adversa magis timerem, quam secunda sperarem. Consederant superioris anni certamina & iræ, provida Antecessoris & Academici Senatus mente & cura; tamen indignatio, semper periculosa & cavenda, victis supererat. Jactatus sic inter spem & metum, in primis mei officii curis habui, ut ingenia noscerem, ægra sanarem, & integra tuerer

&

& confirmarem. Nec votum frustra nuncupatum fuit. Quies enim in præsens, & spes in posterum magis magisque indies invaluit. Nullæ excubiæ miseræ, aut noctes acerbæ fuerunt; sed, gratiâ reconciliata, metu legum & reverentia superiorum, res nostra stetit & floruit.

Quemadmodum vero, quæ conditio est rerum humanarum, secunda adversis, ita adversa secundis successere. Tanta temperies, eaque brevis, magnam, ut eventus docuit, tempestatem, tamen, qui cœli favor fuit, breviorem, preceessit. Exierat ambitiosius rumor, verus an fictus, perinde erat credentibus: & exarsit juvenilis ardor, magno impetu, majori fama, ut mos est de ignotis. Quod autem nihil præter verba & voces peccatum est, quod minax & lugubris nox in fœdius quam procacia oris dehonestamenta spectaculum non erupit, id non temperatio quædam hujus fuit ætatis, quam nescio quo cæco furore sui impotentem nihil templi imminentis religio, nihil Senatus habendi locus, nihil Musis sacratum nemus, nihil vigiliæ urbis, nihil timor populi, nihil ora vultusque Magistrorum, nihil verecundia honestissimi conventus, ni-

hil

hil (pudet dicere) accursus Rectoris, precariam magis quam imperatoriam inter infensos animam trahentis, nihil data dextra fidesque (jus hostium, sacra legationis, & fas gentium), commoverunt; sed hoc propitio Numini, cui salus nostra curæ fuit, & sapientiæ bonorum, qui cavendo vincere satius duxerunt, tribuatur. Atque quo rarior hæc virtus, eo validior ad sedandos animos fuit. Fidesque ex eventu. Mox enim fuere in officio, qui more juvenum & petulanter egerant, subito mutabiles, tam proni in pœnitentiam, quam immodici iris. Pessimo exemplo bona opposita sunt: novæ virtutes monstratæ aut veteres recuperatæ: & fas disciplinæ atque mos obsequii redierunt. Adversus neminem animus aut votum fuit.

Accesserunt & alia, luctuosa & gravia; quibus vero initium & caussas, non repentinus animi motus, sed consilium aut casus struxit. Uno anno ter clades & pavor fuit ex incendiis: quæ tamen, non Deo propter mores irato & fulmine, sed humanæ aut negligentiæ aut fraudis vitio acciderunt. Nec enim unquam magis compertum, quam rerum nostrarum consultrix & provida sit Natura

Di-

Divina, quam vero incuriosa aut invida mens humana. Ut ignis, qui in media fere urbe ex improviso cœptus, subitaque materia validus, omnem opem humanam anteire videbatur, non tam eorum, quibus consilium & audacia fuit, auxilio & periculo, quam præsente & manifesto Numine, provisu nivium, cum in edita assurgeret, effusis imbribus, cum plana popularetur, & coërcitis ventis, cum longe lateque vagaretur, exstinctus est; ita, qui villam suburbanam, nuper conditam, & sumtuose instructam, indefensam & indireptam hausit, ille nullo externo hoste, sed manu civis & alienæ virtuti felicitatique irati hominis (sic delatum & quæstio constituta) incensus fuit. Divini favoris humanique sceleris vestigia, hinc semiusta domus & servata urbs, inde nihil nisi campus violentiæ & vacuum cœlum superfuere.

In his autem rerum casibus, si ego, inter summa & præcipitia constitutus, aliquid caute & diligenter, pro magnitudine periculi & difficultate remedii, ad utilitatem Urbis & Academiæ, efficere potuerim; id non mihi, qui alieno imperio felicior, quam meo fui, sed Deo, qui Numinis sui ductu & auspicio, Amplissimo Ordini, qui Patrum

auc-

auctoritate & confilio, & meliori Juventutis parti, quæ Filiorum fvavitate & obfequio rebus gerendis interfuit, tribuendum putem. Satis mihi erit, fi bonam famam, ex qua minus periculi quam ex magna eft, ex provincia retulerim. Equidem fcio, non deeffe, qui mea facta & confilia ex eventu æftimantes, de iis male judicent. Sed hi erunt, qui nefcient, fortem fæpe plus quam rationem valere, & quæ fato manent, ea confilio non vitari. Nec mihi folatiis opus eft. Quæ habeo, funt judicia integre æftimantium, rem fi minus profpere geftam, tamen integre confervatam effe, teftimonia omnium bonorum, quibus mea opera aut propter voluntatem laudata, aut propter neceffitatem approbata erit, & ipfa veritas, quæ fæpe laborat, nunquam exftinguitur.

Cetera eaque læta, quæ me Rectore aut Divina obire, aut Regia colere, aut Civilia accipere licuit, quo tutiora, eo promtius mihi fuerit tradere. Nulla fere temporis infiniti pars eft, cujusgaudia hæc ætas non tulerit. Rara feculi felicitas fuit, qua Jubilæum, Romanæ in patria dominationi ultimum, & Chriftianæ libertati tertium, per feptimum numerum, facrum & Jubilæum, per fex dies feriatos in audi-

to-

torio, unumque festum in templo celebrare; faustus omine annus, quo Sveciæ Regem Augustissimum, GUSTAVUM ADOLPHUM, jam Tutelarem, olim patriæ Patrem, primum videre, & in Ejus voce vultuque futura interpretari; lætus adventu dies, quo Academiæ Cancellarium Excellentissimum, CAROLUM AXEL WACHTMEISTER, cum cetera vita egregium, tum vel hoc uno eminentem, quod rem nostram apud PRINCIPEM amplificat & tuetur, hospitio iterum excipere nobis contigit.

Atqui communem hanc pietatem aut lætitiam secuta sunt aut antecesserunt, quæ instrumenta divini humanique moris & ingenia excitant & alunt, sapientiæ præmia & insignia. Testes sunt, qui his animi bonis ingeniique illustramentis affecti, exempla recti & solatia mali attulerunt: testis J. H. ENGELHART, Medicinæ Doctor & Professor Celeberrimus, qui indulgentiam PRINCIPIS, atque Primi Medici Regii nomen dignitatemque sua laude & arte meruit: testes Magistri Clarissimi (nomina J. R. Sommelius, L. P. Wåhlin, G. Backman, & A. Wickelius), qui Illustrissimo

mo

mo Cancellario commendati, ſuum quisque ſtudendi pretium, unus Bibliothecæ Amanuenſis officium, alter Hiſtoriam Litterariam, tertius Litteras Elegantiores & Æſtheticen, & quartus Philoſophiam Theoreticam docendi veniam diſcendo conſecuti ſunt: teſtes Juvenes Ornatiſſimi, qui Ordini Philoſophico probati, laureatos diligentiæ & doctrinæ honores, futuri ſpes & opes, domum reportarunt. Sic Deus, cum beatæ memoriæ Profeſſorem L. LAUREL, qui ſatis ſibi, ſatis nomini vixit, cœlo vindicaret, hoc damnum facultate & copia compenſavit.

Quibus autem temporibus ſtudia optime æſtimantur, iisdem & ingenia facillime naſcuntur. Numerum magis quam rationem inire eorum ſi placet, quæ quotannis novitia in hac litterarum quo ſecretiori eo tutiori ſede adoleſcunt & corroborantur, centeſimum æquant, aut ſi exemplum ex proximo, & conſulatu noſtro ſumatur, vigeſimo ſupra centum & octavo ſuperant. Nec periculum minoris in poſterum frequentiæ eſt. Par enim eſt Academiæ celebritas, quo originibus ſuis propior, eo lætius manſura; & major ſtipendiorum, quæ

ar-

artem & ſtimulum addent, numerus, etiam nuper auctus, virtute & fortuna Spectatiſſimi Viri & Conſultiſſimi Actoris Publici D. Krok, qui ſi filium haberet, eum ſui hæredem non honeſtius ex toto feciſſet, quam inopem & ſtudioſum ex parte *) fecit.

Hæc eſt conſulatus noſtri memoria, quæ meliori fide quam ſermone expreſſa, ſub utriusque fortunæ exemplo futuros Conſules monebit, optandusne magis an timendus iſte ſit honos. Jam eo perventum eſt, ut Academiæ plus conferre, quam bonum ſucceſſorem, meum votum non poſſit. Quod etiam in fiduciam vertitur, cum hic erit MATTHÆUS FREMLING, Philoſoph. Theor. Profeſſor Regius & Ordinarius Celeberrimus. Qui enim vir? Laudare, magnæ virtutis injuria fuerit. Deducere in templum, quem electio in curia optimum invenit, aſſenſio Mæcenatis Rectorem nobis fore juſſit, & adoptio in altari & Dei gremio felicem portendet, magis ſollemne & neceſſarium eſt. Hoc ita rogo quaſi monerem. Nulla enim res, niſi

*) Teſtamento reliquit 555 R. 26 s. 8 r.

nisi auspicato, bene & providenter administratur. Ergo non cura familiaris aut civilis quemquam, non ætas, non tempestas retardabit, quo minus ad hanc cæremoniam quasi ad salutem animum & cursum intendat. Sola valetudo, aut spatium viæ impediet. Quam vero necessitatem nisi fortuna aut natura imposuisset, facem nobis ad calorem pietatis præferrent, noster Cancellarius, Regni Sveciæ Drotzetus, Regiorum Dicasteriorum Præses, Regiorum Ordinum Eques & Commendator Excellentissimus Comes & Dominus CAROLUS AXEL WACHTMEISTER, & noster Pro-Cancellarius, Scaniæ & Blekingiæ Episcopus, Regii Ordinis de Stella Polari Commendator, Unus ex Octodecim Academiæ Svecanæ, Reverendissimus, Dominus Doctor OLAVUS CELSIUS. Nunc vero penes nos exemplum erit. Hospites etiam suum adjicient. Novusque Rector, cum pro rebus humanis precabitur, tum omnis ordinis & ætatis frequenti pietate commotus, excelsa etiam & sublimia vota, cœlo & sideribus digna pro vita Principis & salute civium concipiet & persolvet. Tempus erit proximus dies, quam felici litterarum ductu & omine CAROLI scriptus, & nobis, in

mo-

morem festi, eodem loco & signo, iisdem su plicationibus & gratiarum actionibus, semper c lendus.

Dabam Londini Gothor. die XXVII Jan, MDCCXCIV.

XII. PROGRAMMA, CUM NATALIA PRINCIPIS GUSTAVI CELEBRARENTUR.

Id moris instituque tenuerunt veteres, ut, q nati essent die, munus annale Genio solverent. Na persvasio fuit, tutelaria, & quibus humanæ vi haud minus prima, quam media & extrema cu sint, Numina non deesse. Et talia affuisse Socr ad sapientiam & Numæ ad pietatem, vetus men ria est. Vices autem cum non alia res magis qu beneficentia exigat, Diis his penatibus sacra ex gibus, & piacula per pontifices facta sunt. Neq

ea cædis & ſanguinis, ſed meri & libaminis fuerunt, ne dies, qui ipſis vitæ primus fuerit, aliis ſupremus foret. Quæ autem cærimonia ſi in privato & civis natali multum, in publico & Principis plurimum religionis habuit. Cum enim alter nonniſi vitam, tum alter fructum vitæ & præſidium affert. Talem itaque ſollemniter agere, antiquitus uſitatum fuit, nec recentius omiſſum eſt. Atque ut pro concepto partu ſupplicationes decretæ, ita pro edito gratiarum actiones celebratæ fuerunt Si cui autem populo licet, origines Principum ad proſperos rerum humanarum caſus referre, ea fortuna eſt populi Svecani, nato Principe, cujus ſalutari titulo rem ſuam Deus ſervabit. Nam Filius eſt Regis GUSTAVI ADOLPHI, & GUSTAVUS appellabitur. Quod nomen? Quod omen? Ergo feſtinat noſtra pietas: atque Tantam futuri Spem, qua meretur lætitia & religione, hodie Rector, hæc præfatus, & quidem, unus quia dies non ſufficit, cras J. Lundblad, eloquentiæ & poëſeos Profeſſor, & perendie, L. P. Wåhlin, hiſtoriæ litterariæ Docens, interpretabitur. Fiet autem id, appetente meridie, & in majori Academiæ auditorio, ut celebritati ipſius rei

 &

& tempus & locus conveniat. Frequentes autem conveniemus: quod moneo, quasi juberem. Quam enim commune, quam ex æquo, quod nos felices per Principem vetera pro Eo vota solvimus, & nova suscipimus? Et exemplum penes Academiæ Cancellarium & Pro-Cancellarium erit; sed procul. Et notæ sunt rationes. Jam nobismet ipsi, Patres, duces erimus: & Vos, Cives, Hoſpites, nostri comites eritis. Nec veremur, ne propitium nobis Numen non sit futurum. Audivit, quæ pro accipiendo regni HÆREDE precati sumus: audiet, quæ accepto precabimur.

Dabam Londini Gothor. die XVII Nov. MDCCXCIX.

XIII. PROGRAMMA,

CUM

CONSULATUS ACADEMICUS

ITERUM DEPONERETUR.

Magistratu, quem iterum gessi, jam abiturus, eo etiam me felicem prædico, quod, re prospere gesta, nec vox illius memoriæ ambigua mihi futura

est

eſt. Neque enim caſu aut conſilio aliquid evenit, quod mali moris aut pejoris rumoris compertum, silere quam eloqui tutius fuerit. Quieſcenti mihi & invito oblatus eſt iſte honos. Bene & ſapienter inſtituerunt majores, ut ſui juris & annuus Academiæ magiſtratus eſſet. Servitute enim ut ceteræ artes ſic liberales vileſcunt: & ſentiendi quæ velis dicendique quæ ſentias poteſtati longa dominatio periculoſa eſt. Imperium vero brevi tranſiturum ſic temperare, ut, quæ manſura ſit libertas, in virtutem vertat, difficile eſt. Sed obſequendum fuit Senatusconſulto, cujus auctoritas pro ratione ſuffecit: nec obſequii me pœnituit. Tam congruentia & felicia omnia fuerunt. Rectori ſua referendi poteſtas conſtitit: liberum patribus cenſendi jus: &, ubi ſententiæ pugnantes fuere, ſilentii aut dicendi modus. Atque quæ concordia in concilio, eadem pax in urbe fuit. Ipſa juventus ita ſe geſſit, ut probitatis & modeſtiæ exemplum ab ea ætas virilis capere potuerit. Nec enim ſegniter aut licenter actum eſt; ſed diſcere ab eruditis, & ſequi optimos, judicium & maturitas fuit. Sicut et, quod his annis difficillimum eſt, in quovis ſapientiæ ſtudio, ſacro, pro-

fano,

ſano, ſervandi modi certamen & amor nec defuit. Etenim religiones, poteſtates conferre, earumque vitia, virtutes ſiniſtre interpretari aut interpretando augere, non ſeculum vocatum; ſed reverentius eſſe, de Deo credere quam ſcire, & beatius, imperia ducum ſequi quam ſciſcitari, antiquius & ſanctius judicatum eſt. Diceremque, ad ingenii tam temperati conſtantiam nec natu majorum ſive præcepta publice ſive conſilia privatim minoribus defuiſſe, niſi hanc veri profeſſionem ipſa verecundia, ne dicam livor & obtrectatio, ſuſtuliſſet. Tamen nulla in his noſtri ſit jactantia. Nam congruum, ut, litteras qui docent & diſcunt, vim earum & naturam moribus ſuis teneant & exprimant. His autem quid conjunctius & honeſtius? Una eſt ſapientia: & quæ ejus plures ſunt partes, ſpecie quidem differunt, in univerſum vero æſtimatæ ad concentum totius & honeſtatem, quomodo ſidera ad ordinem cœli & ſplendorem, conſentiunt. Si quid diſſidii cognitum fuerit, id non ipſis, ſed ſapientibus tribuendum eſt. Ambitioſum eſt iſthoc hominum genus, ſuique judicii pervicax: mira naturæ diverſitate, ut veri qui diligentes, iidem impatientes ſint. Neſcio autem, quo benig-

no-

no Carolinæ Academiæ fato acciderit, ut ſtudiorum hæc ſedes morum quoque magiſtra eſſe cœperit, niſi dicendum ſit, quod cœli locique eſt ingenium, hoc animi temperamentum finxiſſe. Et humanitatis, ſine qua ſapientia male diſcitur, exemplis non alia ætas ditior fuit. Scilicet jampridem perſvaſio inceſſit, non minorem eſſe laudem, honeſte agere, quam recte cognoſcere, bonæ famæ, quam magnæ ſtudere. Judicio tam laudabili concors ſtetit, & ſine Dei ira, hominum audacia, & ſcelerum cauſſis, læta civitas noſtra crevit & viguit.

Sed aliud ex alio oritur: & quemadmodum virtutibus, ſic virtutum præmiis notabile etiam hoc tempus fuit. Sui autem cuique mores fortunam finxerunt. Fas fuit, ut JOH. LUNDBLAD, Hiſtoriarum Profeſſor, qui, quod rariſſimum, in utriusque orationis adſtrictæ & ſolutæ genere & laude par eſt, ad poëſeos & eloquentiæ profeſſionem rediret, & ut N. HENR. SJÖBORG, Hiſtoriarum Adjunctus, qui tantum antiquitatis & exemplorum tenet, in ejus locum veniret. Ut et tam fuit ex æquo, ut GUST. SOMMELIUS, utrimque inſignis, nomine Profeſſoris & dignitate Bibliothecarii,

poſt

post multi temporis magnæque cogitationis labores otium usurparet, quam ut illius vicem exciperet AND. LIDBECK, v. Bibliothecarius, qui eam tanta futuri spe explebit. Nec iniquum existimetur, quod magna & conjuncta cum pari doctrina virtus, cujus ipsam faciem, non imaginem, præstat AND. HYLANDER, S. S. Theologiæ Doctor & Professor Extraordinarius, sicut aliis in exemplum, ita ipsi in pretium æquatumque cum Collegis jus stipendii cederet: quo modo etiam moribus tributa est illa Orientales Græcasque litteras docendi venia, quam eas discendo J. Wettergrund, Philosophiæ Magister, meruit. Idem & judicium fit de iis, qui Magistri Philosophiæ creati sunt; nam studiis hic honos datus est.

Sic perinde cum dignitate in otio, quam sine periculo in negotio versari licuit. Et dignum fuit auspicatissimi seculi supremis, ut consilium & ratio plus, quam sors & casus valerent. Principe utimur GUSTAVO ADOLPHO, qui, quod in rebus humanis amplissimum est, principatum obtinens, id, quod in principatu beatissimum, subsidia illius & disciplinas amplificat & ornat. Cujus vero indolis tam altæ monimentum quoque erit ædes,

quæ

quæ, ſatis ut ſpatii litteris detur, juſſu Optimi Regis, auſpicato Academiæ ſurget, magnitudine ſi æſtimanda ſit, mediocris & manſura, ſi utilitate, non alia magis profutura. Senatus enim habendi loco, memoriis publici uſus, & natura aut arte viſendis rebus rerumque pretiis & pecuniis diu vota, & jam inchoata, dedicabitur. Parem ſui exſpectationem nobis etiam fecit Princeps GUSTAVUS, cujus natalem ſollemniter agere & datum fuit; Auguſti enim Parentis ut vultum, ſic mores referret. Et ne quid felicitati noſtræ deſit, qui nobis præeſt, & aliquando intereſt, C. AX. WACHTMEISTER, Regni Sveciæ Drotzetus, Reg. Dicaſt. Præſes, Reg. Ord. Eques & Commendator, & Academiæ Cancellarius, hic Comes id etiam habet, a fortuna, ut poſſit, a virtute vt velit rem famamque noſtram contra caſum aut dolum defendere & tueri. Intelligimus noſtra bona, eorumque uſu nos dignos probemus.

Jam eo perventum eſt, ut, quem officii titulum ſuſtinui, alteri deferam. Et publico, proprio nomine lætor. Repetam ego ſeceſſum, quo loco, procul a ſtrepitu & illiteratis curis, ubi ille ad

ſig-

ſignandum libellum, alius in jus, hic in conſilium vocat, mecum & cum libris loqui, & neminem, niſi meipſum, cum ſatis ſcite & commode non ſcribo, reprehendere licebit: & qui mihi in his ſuccedet, parem ad ea animum, majorem facultatem afferet. Hic erit JOH. JAC. HELLMAN, S. S. Theologiæ Doctor & Profeſſor. Noſtis viri prudentiam & gravitatem: quæ duæ virtutes ſunt imperatoriæ, & quibus poſt experimenta, etiam in arduo (conſcientia omnibus manet) confidimus. Tertia & felicitas in manu Dei poſita: atque hæc religionis admonet. Deum enim ſequentibus omnia proſpere, ſpernentibus vero adverſa eveniunt. Auſpiciisque conſularibus et noſtris votis ſtatus eſt ut locus templum & Dei ſedes, ſic tempus proxime futurus dies, nomine & omine CAROLI fauſtus. Itaque ne Numinis neglecti piaculum rei publicæ & nobis contrahatur, fas erit, ut, quo felicitas, eodem voluntas, & quidem quo momento ſollemnis ſignum precationis datum fuerit, nos ducat: &, cum Rector inaugurato factus, fide jurisjurandi obſtrictus, & jus, faſces habens, cum ille, inquam, ſalvis cærimoniis, Deum ſui magiſtratus, pro æternitate

Sve-

Svecani imperii, pro ſalute Principis, pro ſalute civium precabitur, alternis votis & nos pro eadem re comprecabimur.

Dabam Lond. Goth. die XXVII Jan. MDCCC.

XIV. PROGRAMMA,

CUM

MAGISTER NIC. HENR. SJÖBORG,

MUNERE

PROFESSORIS HISTORIARUM ORDINARII

INAUGURARETUR.

Quomodo temporum ſic ſtudiorum officiorumque viciſſitudo quædam eſt, &, biennio vix finito, bis apud nos hiſtoriarum profeſſio vacavit. Obierat ERLAND SAMUEL BRING, qui tam amplam ſcientiam profitebatur, & magnum ſui deſiderium reliquit; neque enim meliorem hæc ætas doctorem vidit. Quæſitus eſt deinde in republica, qui ſuccederet: & repertus JOHAN LUNDBLAD, clarus eloquentiæ & poëſeos Profeſſor, nec obſcurus

rus

rus historiarum futurus. Cognatæ enim hæ sunt disciplinæ, & una perinde quam altera narrat, hæc vere & nude, illa varie & ornate: quæ virtutes ubi coiissent, singulare quoddam & eximium exstitisset. Interfuit autem Academiæ, ut, quam personam imposuerat natura & voluntas, ipse repeteret, quam vero tempus & respublica, alius susciperet. Votum posthæc pro successore susceptum: nec defuere ambientes, majori virtute quam numero: iique suffecturi, nisi NICOLAUS HENRICUS SJÖBORG, decessori ad munus obeundum præclare adjunctus, potior visus fuisset. Et fas, jus fuit, ut, qui in his studiis tantum operæ & temporis posuisset, gratis studuisse non videretur. Suam vero fortunam qua virtute meruerit, cognoscere, exempli refert. Et decet historicum, suam & vitam narrare. Quod & ipsum cum, fiducia morum, sine gratia & ambitione, jam fiet, minus id invidiæ & plus fidei habebit.

"Ego NICOLAUS HENRICUS SJÖBORG, patre N. J. Sjöborg, Præposito & Pastore Ecclesiarum Scanensium Högestad & Baldringe, matre M. H. Hahne natus sum anno

MDCCLXVII.

MDCCLXVII. Litteris ab ineunte ætate initiato mihi pater & ad suscipiendam princeps fuit & ad ingrediendam rationem studiorum. Templo & suggestui, a quo nullum quidem ætatis meæ tempus abhorruit, pius hic me destinando, optime mihi consultum esse voluit parens; illuc cuncta vergere. Ego vero Academicum in primis vitæ genus a teneris tota mente petii. Parva interdum videntur & levia, quibus futura nobis & fausta finguntur. Avunculo sum usus, qui scriptis Islandorum tantum non omnibus undique collectis, a Snorrone Sturlonide ceterisque multa de antiquitate requisivit. Totas ei dedi aures, carminumque Bardorum septemtrionalium unum alterumque memoriter puer recitavi. Hinc ille Historiæ & Antiquitatum Patriæ amor".

"In civitatem Academicam adscitus fui anno MDCCLXXIX; Musas autem Lundenses ante annum MDCCLXXXIII salutare mihi non contigit. Biennio post, natura, quæ exiguum nobis vitæ curriculum circumdedit, me ad hocce Lyceum commorantem patre, spe salutis & vitæ commodis orbari voluit. Quod potissimum ætatis degendæ genus mihi consti-

ſtituerem non diu deliberavi. Conſveta dedi ſpecimina & gradum Magiſterii a. MDCCLXXXVII obtinui. Tantam quidem e Philoſophia Lockiana percepi voluptatem, ut in hanc diſciplinam animum conferre placuerit. Mox memorias evolvendo Majorum, ampliſſimis monumentis conſecratas, comperi quantum ad explorandas hominum multiplices naturas voluntatesque occultas, eorumque res geſtas tradendas, prævia juvet facultatum animæ Analyſis. Diſſertationem de Prædio Ingelſtad anno MDCCXC præſes edidi, quo factum eſt, ut diſciplinas ad Hiſtoriam pertinentes docendi venia mihi ſit conceſſa. Subſequenti anno Topographia Paræciæ Raſlunda & Monumentorum, quæ circa ſunt, publico Eruditorum examini ſubjecta, iter in Germaniam inſtitui, inops patrii laris, inops auxilii, animi non item. Ducatum Pomeraniæ & Rugiam inſulam, Ducatum Megalopolitanum & Marchiam Brandenburgicam pervagando, agnovi multa experiendo fieri, quæ ſegnibus ardua videntur. Berolini & Gryphiswaldiæ in primis commoratus, redux pluries Holmiam, Upſaliam & Hafniam profectus, in Bibliothecarum theſauris rariora pervolutavi. Omnes fere Sveciæ & Gothiæ provincias ſemel atque ite-

iterum ac sæpius visitavi. Domi forisque quæ memorabilia inveni, Historica saltem & archæologica, memoriæ prodidi".

"Historia late effusum est mare, innumeris navibus speculatoriis impletum, quarum unaquæque suis indigeret nautis, suis gubernatoribus. In commune profutura sectando, Historiam Blekingiæ A. MDCCXCI ejusque Descriptionem anno subsequenti typis tradidi. Hoc etiam tempore apparuit Sveciæ Historia Religionis Oratione sæculari exhibita. Adjunctus Historiarum a. MDCCXCVI factus sum, ex quo tempore, paucis exceptis mensibus, in publicis privatisque prælectionibus mihi occupatissimo injuncta fuere officia Historiarum Professoris. Anno tamen subsequenti Systema Antiquitatum Patriæ, vel potius Archæologiæ Septemtrionalis in lucem protuli. Hymnum Homeri in Venerem, ex Græco in Svecanum sermonem a me versum, Hafniæ, & Orationem Christianstadii habitam Holmiæ typis vulgatam vidi. Anno MDCCXCVIII Academia Musices Holmensis & Societas Litteraturæ Scandinaviæ, quæ Hafniæ est, membrum me voluerunt".

"Hæc

"Hæc vita, hæc ſtudia. Id commodi æquabilis mihi conciliavit fortuna, ut muneribus, a Camena, quam ſvaviſſime colo, alienis, præponi numquam deſideraverim, numquam flagitaverim: nusquam enim eſt, qui ubique eſt. Semper, primo loco nominatus, quæ petii ſua vice & legibus præſcripta via brevi sum conſecutus. Superiori tandem anno die xvi ante calendas Januarii a Sacra Regia Majeſtate in munere conſtitutus ſum Ordinarii ad Carolinam noſtram Hiſtoriarum Profeſſoris. Quod felix fauſtumque ſit, jubeat Deus Optimus Maximus"!

Honeſta nec alienæ artis eſt hæc claræ vitæ imago; tamen nonniſi lineamenta quædam & veſtigia clarioris futuræ oſtendit. Abdita enim ſcrutari, & ignota pro magnificis habere Noſter non deſinet. Et quæ reperta fuerint in receſſu, non ſolum proderunt, ſed & placebunt; nam hiſtoria ad imitationis usque & fabulæ artificium ipſos etiam adoleſcentulos delectat. Sic auditorium ſemper plenum erit: & ſpatia ſui muneris cras ingreſſurum dicturumque pro concione Virum frequentes nec rogati proſequemur. Hoc tamen rogo,

go, non ut affectus vestros, Patres, Cives & Hospites, in id, quod ratio svadet, & quod prosperum inceptu, prosperum exitu fore, omen portendit, accendam, sed ut officio satisfecisse videar.

Dabam Lond. Goth. d. xxxi Jan. MDCCC.

XV. PROGRAMMA
IN
FESTUM INAUGURATIONIS
PRINCIPUM
GUSTAVI IV ADOLPHI
ET
FREDERICAE DOROTHEAE WILHELMINAE.

Principes inaugurare, sacer, & quem majores minoresque civitates coluerunt, ex vetusto repetitus mos fuit. Neque enim eos, non captis his auspiciis, auspicato ad principatum nasci aut eligi, opi-

opinio tulit. Multum quidem valet antiquitas n
bilitasque generis, scilicet tales fore nepotes p
nepotesque, quales natura esse voluit, avis atav
que simillimos. Naturæ enim is fere perpetu
est ordo, ut ex bonis boni oriantur: quomc
nec ex squilla hyacinthus, nec ex tardigrado as
lo alipes cervus emergit. Tantoque plus pote
quæ non alienis, sed propriis spectata experim
tis fuit virtus, quo plures bene imperandi caus
habebit, cui hic honos propter merita, quam
ex fortuna in fortem cessit. Male enim si al
imperaverit, dedecori tantum sibi, si vero alt
etiam civitati fuerit. At mortale & caducum e
quicquid est obvium infra lunam: ejusque ut
cies, sic hominum mores mutantur. Et ambiga
sæpiusne tempestates a secundis in adversas, qu
hi a virtutibus in vitia transierint. In loco aut
melioris naturæ & cœlo nihil temeritati, fortu
& errori subjectum est: summæ contra ration
constantiæ & veritatis ibi sedes & origo est.
totus & omnibus semper sol oritur: iidem si
rum cursus: æqualia annorum spatia: atque
quod præest Numen, est unum & æternum, i
mutabile nec interiturum, humanoque generi qu

l

benignum provisu caloris & pluviarum, quae maturitates & fructus afferunt, tam idem horrendum dispositu fulminis & tempestatum, quae summa, ima petunt & agunt. Tanti itaque ut Numinis, si minus propitii amore, irati saltim timore in officio teneatur mens humana, credentibus tam infida & sperantibus tam fallax, religionem jurisjurandi addere placuit. Neque enim aliud & arctius est vinculum ad adstringendam fidem: qua sublata, omnis hominum generis societas tollitur. Et haec ratio. Paciscuntur, qui imperant, & quibus imperatur, cum Deo, ut datam ultro citroque fidem si servaverint, incolumes se ipsos praestet: si autem scienter fefellerint, Dei iram non deprecantur. Et perjurii poena si humana dedecus, divina exitium erit. Sic satis non fuit, ut in avitum paternumque regnum nostri orbis PRINCEPS succederet: non satis, ut Ipsi legibusque obnoxium se Populus Svecanus redderet. Clara quidem animi officiique mutui rudimenta deposita: incerta autem, quae humana & futura. Ideoque, ut primis etiam extrema congruant, religioni res subjicienda, atque fides utrimque, hinc imperii, inde obsequii, sacrosancto, & quod sine piaculo violari

nequit, fœdere obliganda fuit. Sacramentumqu id sollemne ac comitiale. Neque enim singulari polliceri convenit, quod generatim præstare opo tet. Atque illius pignora erunt regni insigni quæ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Principe

GUSTAVUS ADOLPHUS, FREDERICA DOROTHEA WIL HELMINA cras capessent. Verba autem quibus cum Deo de publica salute agetur, expl nare, & in magnæ ac prosperæ rei omen verter quos potius quam sapientiæ doctores decet? An plitudini vero argumenti quia unus non suffici quatuor erimus, quibus hæc cura, mihi pro off cio, JOHANNI vero LUNDBLAD, eloquentiæ & poë seos Professori, ANDREÆ LIDBECK, Academiæ Bi bliothecario, & FRANCISCO LILJENROTH, Theologi Licentiato & Oeconomiæ Adjuncto, pro ingeni incumbet. Satisque etiam temporis ut suppeta tridui illa erit. Initiorum vero dies proxime futurus sequentur deinceps continua nostri affectus documen ta, donec vim suam & cursum confecerint. Nec ve rendum, ne sui fastidium copia sit paritura. Nam que universitatem varietas commendabit, pluresqu di

dicendi species audientium animos, narrando, amplificando & delectando detinebunt. Hinc vero pretium sermoni quærere, nec congruum foret. Sua quemque conscientia monet, ne cunctetur, ubi datum fuerit signum cærimoniæ, quam juxta religionem universa civitas colet. Atque ad illius cultum suo qui exemplo præsens, Noster inquam Mæcenas, Regni Drotzetus, & Academiæ Cancellarius CARL AX. WACHTMEISTER plurimum apud nos valeret, suo haud minus consilio absens valebit. Dabam Londini Gothorum die 11 Aprilis MDCCC.

XVI. PROGRAMMA,

CUM

CONSULATUM ACADEMICUM

PRO-RECTOR

DEPONERET.

Fortunæ, non virtuti, datum fuit, ut, cujus titulum magistratus sustinui, illius etiam vices gere-

rem.

rem. Neque enim moribus, quasi gravissimi muneris sola mens mea capax esset, sed orbi, quo volvuntur res nostræ, hic honos oblatus est. Rector Carolinæ Academiæ Magnificus anno superiori creatus fuit J. J. HELLMAN, S. S. Theol. Doctor & Professor, & magna spe futuri; quippe quem parem moli ætas & rerum experientia fecerat. Qui vero nobis præesset, illum eligi, qui Regni primum Comitialibus negotiis, deinde recognoscendis bonis interesset, Reipublicæ interfuit; quemadmodum & me in ejus locum redire, ad rem Academiæ pertinuit. Scilicet quam sapienter prohibuerunt majores, ne potestas Consularis diu & ultra annum valeret, tam providenter iidem jusserunt, ut in jure Proconsulari adversus fortuita remedium esset. Sic enim nec libertati, qua ingenia gaudent, ex longa dominatione periculum, nec licentiæ, cui caussas & initia vacuum daret fastigium, ex ambitu locus fiet. Difficile vero si est, dignitatem, quæ propriæ est personæ, tueri, difficilius erit, eam, quæ est alienæ, non violare. Et ubi, quæ civitatis sit, imposita fuerit, maxima hæc difficultas erit. Sed merito malus, qui honoris dignationi securitatem privati anteponit; unde mihi

hi meam necessitatem intuenti nec voluntas defuit, quominus officium, quod casus obtulit, ratione pro parte virili æquarem. Fortuna etiam affuit. Neque enim Rectori tutius in muneris ardui mediis, quam Prorectori in primis ejus & extremis ire licuit. Nihil accidit, quod temere factum aut callide vulgatum, otia aut negotia nostra presserit aut distraxerit.

Tamen quæ in agendo fides fuit, eadem in prædicando verecundia sit: & si qua rei bene gestæ laus fuerit, ad suam ea originem referatur. Quæ enim legum observantia, superiorum auctoritas, & inferiorum modestia fuit, ista virtutum concordia publicæ pars felicitatis existimetur. Atque hæc singularis & prope divina. Neque enim hominum ope & consilio factum esse putemus, ut, cetero orbe concusso, quies & otium nobis fuerit. Reverentius hoc de Deo creditur, qui cœlo soloque nostro id dedisse videtur, ut nos terrarum extremi, quo longiores a contactu sævientium, eo tutius ageremus, & ut securitas nostra tanquam septentrionis sidera occiduas vices non haberet. Et ne qua nubes raræ temporis locique felicitati officeret,

etiam

etiam hæc & bona mens Principi divinitus est, ut disciplinas juxta religionem foveat. ſciplinæ enim vitiis, quibus magna ruunt impe inimicæ ſunt. Easque non oderit malus Princ niſi ut ſua facta poſteritati non innoteſcant. ſter autem, quo melior, eo intentior agit, ut tutes, quanti ſibi ipſæ ſint, tanti & aliis vid tur. Atqui munera detuliſſe, virtutum ſatis gı de pretium non judicatum eſt. Titulos & i gines adjicere, etiam ex earum magnitudine viſ Exempla multa: & virtutum nec ſterile noſtı fuiſſe Lycæum, documento ſunt P. MUNCK S. Theol. Doctor, Epiſcopus & Pro Cancellar J. J. HELLMAN S. S. Theol. Doctor & Tl logiæ Profeſſor, M. FREMLING Phil. Th Profeſſor, qui dignitatem de Stella Polari eq ſtrem, item P. TEGMAN Mathematum I feſſor, J. LUNDBLAD Eloquentiæ & Poë Profeſſor, & C. J. EBERSTEIN Theol. Adjı tus & Præpoſitus, qui Theologiæ Doctoris ho res obtinuerunt. Bene vero factis conſcientia quic ſufficit, tamen refert ad exemplum, ut fulgor ri aut nominum ſplendor præclaræ virtutis, e modo vultus honeſtæ mentis, ſimulacrum ſit.

ſcio enim, quo infirmitatis humanæ vitio factum ſit, ut quæ ſpecioſa haud minoris, quam quæ utilia, habeantur, pluresque ſint, qui ejusmodi honores quemadmodum opes vituperent, quam qui faſtidiant. Sed æſtimatori virtutum & Regi ſatis non fuit, magnas ex magna fama ſic diſtinguere. Ut ceteras probatasque etiam cognoſceret, propius adire placuit. Nec mora brevis, ex vehiculo, & ad portam urbis: ſed quemadmodum Principi honeſtum eſt, ſedem ſapientiæ ſtudiorumque Magiſtram diverticulis non vitare, ſic nobis gratum fuit, ad ipſa Academiæ limina Principem excipere, & per omnia ejus penetralia comitari. Sacro Nemori, in quo dicatum Muſis templum eſt, ea reverentia fuit; indolique tam altæ ſatis etiam fiet, ſi noſtra & in umbra educata ſtudia magis fida, quam oſtentui, fuerint.

Hic in ſpatiis imperii, ordinaria, vicaria operâ miſti & compoſiti, curſus rerum fuit. Neque conſilia tantum effectu proſpera fuerunt, ſed etiam, ſi quid adverſi caſus dederit, ſui rationem aut ſolatium ex neceſſitate id habuit. Atque ſic interpretari etiam decet mortem GUSTAVI SOMMELII,

LII, Professoris & Bibliothecarii, qua una clade insignis hic annus Consularis fuit. Luctuosa quidem illa conjugi & liberis, tristisque amicis & nobis fuit, tamen immatura videri non poterit. Neque enim fato præpropero ereptus, sed ex natura exstinctus ille existimetur, qui septuaginta & quatuor annos vixit, & qui, in quantum ad gloriam, ultra sui terminos ævi vitam duxisse videbitur. Utcumque vero funestus hic casus judicetur, unicus tamen fuit. Plures qui læti: & J. C. v. Bildstein Philosophiæ Adjunctus, A. Wickelius v. Bibliothecarius, U. J. Åberg Chemiæ Docens, F. Cederschöld Phil. Theor. Docens, H. F. Sjöbeck Litteraturæ Angl. & Gall. Docens, & J. L. Wickelgren Eloquentiæ Rom. Docens, qui ad hæc officia non sorte & urna adsciti, sed consensu & judicio electi sunt, suo quisque ingenio studioque certatim clarissimi vicem hominis explebunt. Nam adsunt ætas, vigor, & spes novæ. Supremus autem his cumulus accedent creati apud nos viginti (nec minor vis quam numerus) Medicinæ Doctores, qui, in quantum humana patietur natura, ipsi laboranti sua arte subvenient.

Sed

Sed finis extraordinarii officii, cujus partem non expetiverit, qui illius totum expertus fuerit, initium ordinarii erit: & quæ proximum circumstant omina, ea non ambigua. Ubi enim caussæ & rationes non diversæ fuerint, etiam res eædem manebunt. Nihil quidem ad simultates tam pronum est quam laudis æmulatio, præsertim in eruditis: quæ nascitur ex invidia, nutritur livore, & obtrectatione exardescit. Mira vero concordia apud nos vivitur: suspiciunt se invicem, invicem sibi cedunt Patres: & hinc exemplum Juventuti, ac honesti imitatio. Atque tali animorum habitu valida civitas nostra opem periclitantibus, metum invidis & inimicis tulit, ipsa concors, etiam in posterum sui secura. Nam singuli cum pugnant, de universis triumphatur. Moris vero tam pulcri qui suasor nobis semper fuit, illius jam Rector fiet. Hic enim erit L. P. MUNTHE, Juris & Moralium Professor. Et aut amor viri me fallit, aut non alio magis tempore plus boni mores, quam bonæ leges, valebunt.

Res autem, quæ transferetur, quemadmodum legibus, sic & religioni subjicienda est. Ibunt ita-

que in templum omnes, quos aliqua in ſua fortuna etiam publicæ cura contingit. Et quia hæc maxima incumbit Academiæ Cancellario & Comiti CAROLO AXEL. WACHTMEISTER, Regni Drotzeto, Reg. Dicaſteriorum Præſidi & Reg. Ordinum Equiti ac Commendatori, ad ſollemnia noſtræ pietatis, ſi præſens, ILLE facem præferret. Abſentis vero Mæcenatis, ut in aliis, ita in his locum Academiæ Pro Cancellarius, PETRUS MUNCK, S. S. Theol. Doctor, Scaniæ Blekingiæque Epiſcopus, & de Stella Polari Membrum, tenebit, & in colenda tanti cæremonia momenti nos præibit. Sequi & veſtigiis inſiſtere, proba nobis ceteris contentio erit. In diem proximum ſupplicatio indicta eſt. Atque, re divina peracta, providebit Rector, ne quid detrimenti res Academiæ capiat. Dabam Londini Gothorum d. XXVII Jan. MDCCCI.

XVII. ORATIO
AD
FESTUM SAECULARE
ANNO MDCCCXVII
CELEBRATUM.

Si unquam, jam certe fuscipiendum hoc votum erit, ut apte pro tempore dicatur. Decimum, & quod excessit, est sæculum, ex quo Christiana religio etiam Sveciæ illuxit. Fuit enim ex ejus divinitate, ut instar solis, non modo ab ortu in occasum, sed etiam ab austro in septentrionem flecteret. Quo autem nec minus pertinuit, ut, quomodo princeps illud sidus circumactu, objectu telluris, terricolarum etiam ambitu, ausu, religio hæc obscuraretur. Tota omnibus (neque in hoc lumini ea mundi dissimilis fuit) orta erat. Appropinquans vero nobis, terrarum extremis (a tergo earum finis & oceanus) ex parte defecerat. Etenim Romana, ut olim monarchia, sic recentius hierarchia plurimum orbis terrestris tenuit. Judiciumque in incerto est, plusne illa generi humano,

quam

quam hæc Numini Divino vel utrique illuserit. Admissum vero fuit exemplum pessimum, ut optimum opponeretur. Missusque est violati juris, ut humani ultor, sic divini vindex. Quæ tamen vindiciæ nonnisi hyperboreis placuere. Quasi, quæ sua cuique cœli positio est, ingenium finxerit, abjectum id, dominationisque, sacræ, profanæ patiens, quæ australis & humilis plaga mundi est, utriusque vero impatiens & erectum, quæ sublimis & borealis. Neque natis sub axe aut axi proxime finis tantæ servitutis perinde lætus fuit. Omini is fausto erat, quibus duplex ista tyrannis oneri, infausto autem, quibus in quæstu fuit. Opusque sæculo plus dimidio, antequam ipsi in commune collibitum fuerit. Tamdiu victa superstitio avita est. Tertium vero est, ex quo parta hæc victoria fuit. Sæcularisque ejus memoria. Cui etiam apud nos redintegrandæ plures item dies consecrati. Ratio fuit, ut grates & laudes, quæ Deo hominibusque pro tanto munere debentur, instar temporis continuæ forent. Neque veremur, ne illius memores immemoresve videamur, prout satis aut parum dixerimus. Gratiores ii Deo, qui templo breve & simplex votum, quam qui lon-

longum & meditatum carmen aut ſermonem intulerint.

Jam vero, & ut melius intelligatur, quam bene Chriſtiana religio informata ſit, meminiſſe juvabit, quam male transformata fuerit. Manifeſtius id contemplatione contrarii fiet. Piato orbe, piaculique dum recens memoria erat, major ipſi & fides & affectus ſtetit. Neque, quibus intereſſe licuerat, de iis ambigere in mentem venit. Oculis enim magis, quam auribus, creditur. Animus præterea, ut tener & rudis, ſic integer & ſincerus tum erat. Talis ille in Chriſtianismi incunabulis, qualis eſſe debuit. Venerari, quæ non ſciri, & admirari, quæ non intelligi poterant, id hujus fuit. Et quam modeſte, tam prudenter. Cæcutire in eorum ſplendore, periculum non erat. Animoque tam ſublime elato, ſublimes quoque virtutes ſecutæ ſunt. Suſpicere quæ ſupra ſolem, nec ipſum ſine maculis, ſunt, nec mutabilia nec interitura, cum in amore, tum quæ infra lunam mortalia & caduca, deſpicere, etiam in poteſtate fuit. Conſtans cœleſtium perſvaſio: intrepida eorum profeſſio: neceſſitatesque ſupremæ fortiter toleratæ. Habitus hic tum religionis: & ut præierunt

erunt voce, exemplo antiſtites, ita ceteri ſecuti ſunt.

Sed paullatim hujus, quaſi ſatietas tenuit, incuria, aut, quod pejus, corruptio irrepſit. Langveſcebat primus, quem fecerat ſui, impetus, ubi audita pro viſis valerent. Subtilis ceterum judicatus eſt ille tenor, Deum ſola mente colendum eſſe; ſicut virtuti propter ſe ipſam ſerviendum eſſe, rigor hic gravis. Origo inde ſimulacris, quæ Numinis, ut vultus animi, indices eſſent. Voluptatique, ut vitæ etiam blandimenta forent, nec ſua defuit. Accidit autem, vitio humanæ imbecillitatis, ut exempla cultus, quot divini & neglecti, tot culti & humani relicta fuerint. Sed peſſima, quæ hierarchiæ cognita. Et quæſtio erit, pejorne orientalis, an occidentalis fuerit.

Modeſtior Pontificis Meccani titulus. Appellatus ille Chalifa, id eſt Succeſſor Muhammedis, qui quamvis ſacri gentilis conditor, tamen homo erat. Neque, quæ ei addita fuit appellatio Dei umbra, cujus imago Deus erat, aliquid oſtentationis habuit. Reddidit vicem Numinis Chalifa, ut eam quæ Solis luna (Ottomannici imperii inſigne); quam

quam etiam ut satelles, non ejusdem fastigii æmulus, supplere studuit Neque enim hæc sui venditatio fuit, ut cœlum velut Atlas sustineret, aut terram, sicut Jupiter, supercilio commoveret. Quæ sacra sua potestas, ea tam ample, quam religionis Muhammedanæ orbis, patuit; quæ autem hujus ingenio accommodanda fuit, Unum (hæe erat doctrina) Numen, quod æternum, tantumque sui simile, nec in speciem cujusdam oris adsimulandum. Ideoque nec aliquid visum in templis, nisi pulvinar, Corano dicatum, suggestus, concioni sacratus, sacræque & illustriores sententiæ, mœnibus dedicatæ. Locus autem ipse (tam sacer ille) nudis tantum pedibus fuit adeundus. Collucentesque per noctes jejunii faces nonnisi illius, quod intus sola reverentia spectabatur, religiosæ testes fuerunt. Numen vero ut potius moribus quam statuis exprimeretur, Chalifæ, qui ejus sacris præerat, princeps hæc cura. Honestari templis, coli aris, nec ipsi hæc adulatio, nec subditis hic honos fuit. Sie etiam, & quia sine Dei ope & consilio nihil auspicato geritur, omnia ad oracula ille contulit. Quæ item tanti fecit, ut nonnisi quo sermone fuerant edita, ea legi jusserit. Inimitabilia enim

in-

interpreti hæc existimata: humanique erroris formido nec deerat. Quibus vero aliquid addere vel demere, loco sacrilegæ manus id habitum. Nec ea unquam sic exposita fuerunt, ut culpa, præterita aut futura, alieno piaculo aut auro venalis esset. Atque inde tot tantisque Muslemiorum bonis operibus caussa & origo. Neque enim gratis hominem ad cœlum esse rediturum, opinio tulit. Sacra vero quam studiose curata, tam modeste etiam procurata. Sollemne enim pietatis Chalifa, non nitens purpura, sed veste pullata, & qualis supplicem decet, obiit; neque alio cultu, & quasi pro rebus humanis semper precaturus, civilia negotia idem administravit. Tamen, utcumque magna proprii ritus observantia fuit, alieni nec patientia defuit. Libertas sentiendi de divinis, quæ quisque vellet, dicendique, quæ senserit, concessa. Deo enim, cogitabatur, Dei injuriæ erunt curæ: neque, tutelari hæ tradendæ. Ergo singulis Islamismi sectis in ipso & Meccano ejus sinu vota sua nuncupare, permissum erat. Quin & religionis, plane diversæ, & in ipso hoste, verecundia comperta est. Alius vero non pejor domestico & servo, sive Judæo sive Græco, sive Armeno;

meno; qui omni loco & tempore cavendus domino fuit. Tamen sacris tam perfidi civis, etiam in publico, mos suus concessus. Quod autem de Cæsare Turcarum, qui in Chalifæ locum transiit, etiam valet. Libera & infinita ejus potestas; quæ tamen, & quasi ad stateram, suis momentis ponderata. Tradita ipsi, quæ civilis. Quæ sacra, cui tamen præest, ea Pontifici Maximo (vocabulo gentis Mufti vocatur) commissa. Neque nisi hujus consulto (bello etiam ille interest) impetrato, ut memoria est, receptui post cladem cani potuit. Quo autem nec minus in re pacis & capitis opus. Tam æqua lance summa hujus imperii pensitata: neque ea impune in alterutram partem propenderit. Quanti enim est, mentem divinam ex ejus verbis elicere, tanti quoque, eam rite exsequi. Mulctaque irrogata, sinistræ interpretationis mors aut exilium, sævæque dominationis throni privatio. Qua autem libra, ut pari res Ottomana parta & aucta, sic impari fracta & labefactata est.

Domi regiminis temperati hæc laus: neque, quæ foris parta, ea minor. Submittere fasces sacræ Majestati, omnis Muhammedani principis

 erat;

erat; tamen virgæ & ſecures non expeditæ. Auctoritas quæ civilis, integra manſit. Namque hæc erat fas patriæ, avita libertas, Deusque penetralis. Igitur nec niſi pro ſuo tribunali actum eſt: prætor de ſella pronuntiavit: atque nulla ad Pontificem provocatio. Exemplum quoque eſt, Chalifam illius, qui ſuo juſſu regnaverat, etiam funus non modo anteiiſſe, ſed & ſubiiſſe. Tantum majeſtati obnoxiæ datum eſt: nec propriæ, quippe quæ in umbra ferali major viſa eſt, timendum aliquid fuit.

Sed dominatus tam liberalis bonæ artis, ut libero coelo campus bonæ frugis, etiam ferax erat. Plura, quam Græca libertas, ingenia hic tulit. Etiam peregrina, quæ arceſſita fuerunt, operibus felicia. Namque quæ ſeminis natura eſt, eorum non fuit, ut ſolo inſita alieno degeneraverint; ævoque hoc obſcuro, ut nocte ſidera, perinde ea, quam gentilitia, internituerunt. Loco, non indole, hæc mutata. Sic etiam virtutis, quæ ſervitutis æque impatiens eſt, dominatus ille nec ſterilis fuit. Terribile cunctis Chalifarum erat nomen. Dubiumque eſt, plusne manu & proelio, quam

quam inſtinctu quodam civili, ſacro, effectum fuerit.

Major viciſſim, quam humana, Pontificis Romani ambitio cognita eſt. Vicarium ſe Dei ipſius & Chriſti ille jactavit. Neque satis, Perſonam divinitatis Secundam induere. Quæ ejus eſt Prima, & Patris (id notat Papa), eam quoque gerere voluit. Patrem enim, non patriæ, ſed totius terræ nomen hoc præ ſe tulit. Quo item regibus, tanquam filiis, ille colendus fuit. Argumentoque erit, quod disponere fata regnorum, id ſuo etiam juri ille vindicavit. Ademtum per aquæ & ignis interdictionem patriæ coelum iis, quibus numen ejus iratum fuit; quibus vero id propitium, his etiam, quod ſolum ſol non viderat, donatum. Sedesque ſuo numini quæſita fuit rupes Tarpeia, quæ nubifera, ut imperii ſui fulmine contumaces in officio contineret. Atque, quo faſtigium humanum exceſſiſſe videretur, portatus ille humeris: hominumque de æqualitate ſic triumphans, ſpatia ſui regni ingreſſus eſt: quæ autem obiit, curru quadrijugo, equisque albentibus juncto, inſtar ſideris, omnia inviſuri, vectus. Procumbere humi tum ipſi, ut Deo, pietas erat. Neque ſeden-

tis

tis nisi pedem, quo terram contingebat, osculari permissum fuit. Namque coelum dextra tenebat. Vidisse te crederes arcum illum coelestem, qui insistens oceano caput in nubes condit, nec ipse nisi in nubilo conspicuus. Læsique numinis sui, quam divini, majus crimen. Exorabile cum unum precibus, tum alterum suppliciis fuit. Piandum id erat magno Cæsari, etiam per plures noctes, frigidoque sub dio, ut illustre hoc astris specraculi tam foedi etiam testis esset. Tamen, piaculo contracto, non semper tali aut simili poena solutum eo fuit. Imperata interdum pecunia. Neque alia turpior mercatura. Pacta invicem est peccati, hinc venia, inde merces. Quod enim ambitione & luxu exhaustum fuerat, id cupidine & raptu explendum erat: avaritiamque, sive legati sive præpositi, non dives nisi per donaria, nec pauper nisi per testamenta effugere potuit. Tamen obtentui honestum nomen; quod pii erat usus; & condita sacella, hospitia; quæ vero totidem spoliaria civium, prædæque receptacula fuerunt. Illatique sunt superis, ut quisque Papam aut ejus ministrum patrimonii sui heredem scripserat. Tam cæca enim mens erat, ut non intel-

telligeretur, heredem a servo non scribi, nisi malum patronum. Inducta sic Numina tutelaria; eaque multiplicata corruptis sacris, ut corruptis moribus leges multiplicantur. Neque non miracula, quorum avidum est vulgus, iis affi&ta. Quibus vero item Fontana, Montana, Rustica, Silvestria, quorum haud minus idem est credulum, accesserunt. Sicut etiam nec pauca testimonia, commentitia & fabulosa, rei divinæ tanquam falsæ tabulæ subornata fuerunt. Sed plurima ea, quæ in potentiæ licenter usurpatæ robur & firmamentum collecta. Omniaque illuc spectarunt, ut acies animorum præstringeretur, aut ne jugum cervicibus excuteretur. Ideoque coelestes etiam cærimoniæ magis in speciem, quam in pietatem compositæ fuerunt. Frausque demum, cui opportuna est caligo, hæc structa. Quæ vocis divinæ e cœlo missæ imago est, ea Hebraice aut Græce expressa est. Quam vero clare in suo fonte intueri ne liceret, alia & vernacula lingva eam imitari, vetitum fuit. Neque nisi in rivulo turbido & Latino (pars etiam hæc servitutis Romanæ) illam contemplari datum est. Interfuit enim, in morem Numinis, de quo Pöeta fabulatur, globo se nubium circumdare, ne flagitium soli radianti patesceret. At

At vero, & ne quid honesti superesset, fallendi ista ars obscura etiam litteras, ut nox diem, pressit. Namque vitiis hæ inimicæ. Sævitum est flamma in auctores, in libros; tanquam isto igne conscientia sui ævi, futurique memoria deleri potuerint. Parum vero erat, dicta aut scripta palam sic persequi. Notare ora, vultus, &, quid in iis lætum, triste visum esset, in crimen detorquere, nec puduit. Etiam latebræ turpes quæsitæ; rimis admotæ aures; captatæ voces; vincula & quæstiones. Ita vero, & ubi secreta domuum non sine formidine, ubi nota, ignota, muta & inanima, tecta & moenia circumspicienda erant, & ubi timuisse, id ipsum pavendum fuit, stupor animum, torpor membra corripuit. Factumque est, ut, ademto per inquisitiones loquendi audiendique commercio, in tristi, & quale noctis, silentio etiam Musæ obmutescerent.

Sic autem, & cum omnia nutu Pontificis Romani gerenda essent, item discors secum sua quæque civitas evasit. Duo corpora unius animo regenda erant: pro singulis bini reges: & duplex curia; una sancta, templum publici consilii, mode-

ra-

tatrix officii, temeritatis vindex, surda autem legi patriæ, ordinique sacro, quam civili, melior; altera profana, alieni juris, precaria, & irrisa, sed invida, maledica, & simulato obsequio, odioque dissimulato, ulciscendi cupida. Qua vero discordia, moribusque civium in universum desidentibus, Hierarchia Romana magis magisque labi, atque præceps ire coepit, donec eo temporis, quo plus loci nec vitiis nec remediis fuit, perventum est.

Hæc in commune, & comparate, de hierarchia Romana; quæ vero sic accipienda. Ut, quæ orientalis fuit, etiam vitiis laboravit, ita quæ occidentalis, nec virtutibus caruit. Papæ, ut Chalifæ (qui tamen juris divini quam humani studiosiores cogniti), boni malis (quamquam illis hi plures) misti fuerunt: qui omnes, ut stellæ, aut candidæ & salutares, aut crinitæ & fatales, secunda aut adversa generi humano portenderunt. Habent enim res, ut tempestates, suas vices, vicesque suas annorum series, longiores, breviores, quæ alternatim lætæ, tristes; quarum vero caussæ, non in fato & necessitate quadam immutabili, sed in Deo propter mores irato quærenda est.

Quæ

Quæ vero temporum, eadem quoque morum conditio est, ut boni ex malis, quomodo mali ex bonis, nascantur. Sua cuique ætati, item Christianismi, tempestivitas: primæque & ineuntis ut sancta simplicitas, mediæ autem & florentis effrenata libido, sic longius provectæ bona ratio notabilis fuit. Corrupta per plura secula religio hæc fuit. Incorruptaque diu in voto. Quo tamen potiri, id tam arduum inceptu, & periculosum exitu visum est, quam si quis Olympum de sua sede moliri, aut fulmen coelo eripere voluerit. Expertisque creditum est. Qui structi eis rogi fuerant, oblivione exstincti non erant. Sed natus demum ille, quo non alius aut plus animi ad periculum capessendum, aut plus consilii in ipso periculo habuit. Nomen Lutherus, vi significandi P u r u s instar solis, omineque, cujus fidem nec ipse fefellit, faustum. Vox autem pia, quam pro re Christiana miserat, ei anceps fuit. Conciverat filias noctis & furias Pontifex Romanus; quas Romanus etiam Cæsar incitaverat. Quibus tamen vir ille, unus & imbellis, obviam ivit. Gerens vero animum magni exercitus, caussæque, quam agebat, haud diffidens, Leonem illum, non jubatum,

tum, ſed monſtroſum & tricornem, qui orbem pavore perculerat, vicit. Neque alia clarior victoria. Pertinacius enim pro aris, quam pro focis, pugnatur. Majorisque eſt molis, ſuperſtitionem, quam tyrannidem, debellare. Affuit vero Deus; cujus in manu victoria, ut virtus in ſua poſita erat. Dixit noſter Heros, & factum eſt. Quamobrem putares, hunc fuiſſe illum Dei hominumque internuntium, qui (ſic in oraculis) facie radiante, ſed imminente nube, nec ſine irido, tenensque libellum, hoc explicato, & tempore opportuno, argumentum ipſius coelique arcanum ore quaſi tonante vulgavit. Pulſa enim fuit quæ nubes ſuperſtitionis religioni offecerat, ſuæque veritati reddita claritudo; non turbine & bello, ſed ſola voce & in tranquillo. Scilicet Præco hic, potens non lorica & gladio, ſed vaticinii illius vi & fulmine metum invidis & inimicis fugam, ſociis vero præſidium & periclitantibus ſalutem tulit, ipſe ſecurus; qua etiam armatura, velut perpetua quadam potentia, ille munitus, dum vixit, ſe & pacem ſuſtinuit. Motus enim plebejus, qui contra factus eſt, civilis potius, quam ſacer dicendus erit.

Rei autem, quæ Numine tam manifeſto, non

cæca fatorum poteſtate, geſta fuit, hæc bona, hæc decora fuerunt. Numen illud divinum, quod, poſito ſua vice humano, quaſi ſublatum fuerat, ſibi redditum: templa, quæ, ſtatuta aſyli impunitate, polluta erant, luſtrata: altaria, quæ Deo alieno dicata, ea patrio vindicata (ruſticari, non peregrinari in ſacris jam licuit): & coeleſtes cærimoniæ, quæ habitum ſcenæ artisque ludicræ acceperant, expiatæ. Reniduit etiam religionis ipſa, quæ tecta callide & in obſcurum abdita fuerat, facies; ſuæque voci, quæ interſtrepente ſuperſtitionis & Romana pingve quoddam & peregrinum ſonuerat, tenor quoque illius, quæ ſua cuique civitati & vernacula erat, conſonare coepit. Qui enim ejus vindex, idem interpres fuit; tantoque melior, quanto primis ſui originibus propior. Quæ enim in ipſius lumine circumſcribenda erat umbra, ea recedendo (quod umbræ proprium) major vero facta fuiſſet. Quod autem conſilium ſi contemtui, ne dicam ludibrio, ab aliis, qui in tanta re item ſui periculum fecere, verſum non fuiſſet, ſui facti non poenituiſſet. Species lingvæ cujuscumque, ut ea quæ oris humani eſt, mutabilis; quæ autem imitandi ſacri codicis propoſita, ea non tempore mutanda; ſicut

ficut etiam, quæ illius exempli de verbo in verbum expreſſa fuerit effigies (tamen, quod ſui vultus obſolevit, renovandum), nec ea interitura. Quo addendum, quod antiquitati ſanctum quid & venerabile ineſt; gratiaque novitatis, ſeu ingenii jactantia, ubi forma priſci & divini moris imitanda eſt, præprimis vitanda erit. Redux denique, quæ pariter exulaverat ratio; captaque hæc quaſi animo, ubi fuit captiva, ea, coelo ſpirituque reddito, abiit ſublimis, ſiderique, cujus luce lucebat, comitem ſe præbuit.

Sed cautum juri, non ſolum divino, ſed etiam humano fuit. Mancipata Pontificio erat magna pars Chriſtiani orbis: neque ſuo & civili niſi umbra honoris ſuperfuit. Servique erant in hoc famulatu Principes, qui nobilem ſervitutis locum, conſervi eorum cives, qui ignobilem tenuere. Iique viliſſimi, qui noviſſimi. Fuit vero omnium, ſuam ſervitutem tributis emere opibusque paſcere; ut hianti cupiditati domini ſuperbientis, ſuique ſatellitii laſcivientis ſatisfieret. Vulgato autem oraculi reſponſo, potentiam æque periculoſam eſſe, ubi nimia, & ubi nulla fuerit, dividenda hæc viſa eſt, & ex æquo, ut Deo & Cæſari quod ſuum tribueretur. Exemplo-

ploque etiam ipsa rerum natura. Duplex item vis est, altera in directum, altera flexu, qua utraque congruente pendens medio in mundo tellus in gyrum feretur; qua autem discordante, unaque sublata, globus hic suo cursu turbaretur. Unde, quæ demum cumque sua civitas fuerit, eam, orbe suo salvo, vi eadem posse librari, locus opinioni non erit.

Pari modo temperamentoque hoc regiminis egregio etiam disciplinis & artibus bene provisum est. Colere eas in robore & tenebris, nec libuit, nec licuit; quas autem, redditoque iis spatio & lumine, tam clare, quam commode recolere non poenituit. Factum enim id etiam tam gloriose, ut nihil sive dialectice subtilius, sive mathematice sublimius, sive naturaliter illustrius, sive poëtice pulchrius dici possit. Multum, quod antiquitas invenit, ut inglorium oblivio obruit, aut barbaries demolita est. Totum vero hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, in æternitate temporum, judiciis hominum, fama rerum manebit.

Sic etiam, & propter eandem rationem, moribus optime consultum. Dum viguit superstitio, non

non tam virtutes, quam virtutum species visæ fuerunt. Neque enim nisi forma honesti potissimum monstrata est. Quæ autem ut ea, quæ herbæ & floris, non solidæ bonæque frugis, est, caduca fuit. Testesque sunt, qui, composito palam pudore, sed intus meditata libidine, pari suo & publico exitio steterunt, ceciderunt. Ubi autem floruerit religio, spectabit hæc ipsam honesti naturam, quam sua etiam indole referet. Virtutesque inde natæ, instar æternæ mentis, quæ eas generavit, nec interituræ erunt. Plus ibi conscientia & fides sacramenti, Deo hominibusque dicti, quam metus legum & poena, valebit. Neque tam facile aut dominatio in tyrannidem & deforme obsequium, aut libertas in licentiam & abruptam contumaciam tum transibit.

Nitor hic religionis informatæ profuturus. Qui autem nec sine usu procul etiam visus. Accensa enim fax sua (natura hæc luminis) longe lateque, & cum vivo calore, radios jecit. Neque ii, quibus invisa erat, ad ejus fulgorem connivere potuerunt. Namque oculos, item invitos, ut dies, hic perstrinxit. Tamen Pontifici Romano præ-

fer-

ſertim fax illa flebilis, propeque feralis fuit: hujus auctoritate a ſummo ad medium, fere imum detruſa: vanumque ſine viribus nomen. Salutaris vero hæc cuicumque cetero Principi, qui fidem ei obſtrinxit, ſed paullatim ſubtrahet. Spes enim eſt, fore, ut quod discriminis inter Proteſtantes & Catholicos ſuperfuerit, ſucceſſu temporis removeatur. Differentque ſpecie, quæ ſuæ ſingulis cæremoniæ erunt, ſed genere conſentient. Atque homines (tam providum Numen) ut vultu & voce, ſic etiam religione & fide internoſcere, in facultate erit.

Sed nolim pluribus, ne rem, quæ ſibi fidem miraculi prope fecit, æquare verbis voluiſſe videar. Quæ itaque pro ea vicis, cui, & quo modo reddenda? Conſecrandusne Ille, cujus fide & opera hæc geſta eſt? Miniſter ejus, non magiſter fuit. Eſt ſectæ Catholicæ, ſuperſtitionis clientem cœlitibus inferre. Erit Lutheranæ, religionis tutorem, non ipſum, ſed factum, cœlo dicare. Deo, cujus ductu & auſpicio res illa perfecta eſt, ſupplicatio noſtra, quæ & decreta, indicta fuit, ad ejus altaria fiat. Quem etiam, hoc ſupereſt, certatim precamur, ut faveat ſuo beneficio, tantoque muneri

per-

perpetuitatem addat. Neque preces noſtras averſabitur. Novum non eſt, quod optamus. Audivit vota, quæ adverſus rem ſuam corruptam ſuſcepta fuerunt; exaudiet, quæ nuncupata pro incorrupta erunt. Quo majori fiducia iisdem oramus & obteſtamur, ut, quam religionem nobis dedit, eam tam ſui conſtantem, quam cœli ordinem, eſſe velit; ut, quam inviolatam a majoribus accépturi ſint nepotes, ad pronepotes referant; ut dies, qui hujus exſulis ultimus, aut revocatæ primus fuit, nullo unquam tempore profeſtis adſcribatur; ſed ut per numerum, non annuum & vulgarem, ſed centeſimum & jubilæum, feſtus hic habeatur, donec duo aſtra mundi vim ſuam & curſum circa polum ejus ſtelliferum conficient, luna, quæ pernox & bicornis obſcuratæ ipſius, claræ vero de integro ſol ſuo orbe pleno admonebit.

Corrigenda:

P.	46 l. 20	addidisse.
—	78 - 12	sanguinem.
—	83 - 21	præmium.
—	88 - 13	vindicetur.
—	124 - 19	questus.
—	128 - 13	propiorem.
—	131 - 12	antiquitas.
—	151 - 8	virtutes.
—	164 - 18	suum.
—	166 - 10	sum.
—	235 - 10	consessu.
—	244 - 11	dimittentium.
—	247 - 22	Vivo.
—	248 - 19	succubuit
—	252 - 14	excusatum.
—	253 - 21	quidem ejusdem.
—	260 - 15	reipublicæ.
—	280 - 3	aut (omissum ante ejus).
—	311 - 22	disficilius.
—	323 - 17	consessu.
—	327 - 13	circumducta.
—	330 - 11	præcessit.
—	332 - 3	subitoque.